

Div.

Class *Book*

University of Chicago Library

GIVEN BY

American Bible Union Coll.

Besides the main topic this book also treats of

Subject No.	*On page*	*Subject No.*	*On Page*

LIBRARY OF THE

ONE LORD
ONE FAITH
ONE
IMMERSION

AMERICAN BIBLE UNION

Presented by
Purchased.

No 2269

Class Book

University of Chicago Library

GIVEN BY
American Bible Union Coll.

Besides the main topic this book also treats of

Subject No. On page Subject No. On Page

COMMENTATIO

DE

JOBEÏDE.

1131

COMMENTATIO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARY

DE

JOBEÏDE.

SCRIPSIT

Herm. Fred. Theod. Fockens.

ZUTPHANIAE,
APUD W. J. THIEME.
MDCCCXXXVI.

BS1415
.F65

Aesthetica, quae vulgo vocatur, minime negligenda esse videtur, aut alii cuicunque elegantis doctrinae cupido, aut Theologiae studioso.

Jo. Clarisse,
Encyclopaed. Theol. p. 38.

American Bible Union Collection

15531

L. S.

Abhinc quinque et quod excurrit annos Commentarium in librum Jobi parabam, in quo recentissimorum interpretum, Rosenmülleri *in primis,* Umbreiti, *et* Palmii *nostri positam in illo operam modeste dijudicarem inque meos usus converterem. Quae autem tunc de ejusmodi instituto in Symbolis nostratium theologicis (Godgel. Bijdragen, a.* 1831) *monuit Censor opusculi in nonnulla Jobeïdis loca vernacule a me editi, hanc in me vim habuere, ut illam scriptionem ad tempus missam facerem. At enim vero Jobo intentus, ab hoc studiorum*

43333

cursu non illico totus abscedere potui: quare immutato paulum consilio, hanc scripsi Commentationem; quae quidem, aliarum lucubrationum interventu saepius seposita, longissimasque dein moras afferente typographo, nunc tandem cum orbe erudito communicatur. Nihil autem amplius hic de ea dicere habeo, quam quod in Prolegomenis fusius declaratum est. Si quid vero libello inest bonae frugis et emolumenti, id in primis in Juvenes, sublimis ac pulcri, quod in Literis S. est, studiosos redundaturum fore spero et exopto.

Twijzelae Frisiorum, d. 31 m. Octobris, a. 1836.

CONSPECTUS.

PROLEGOMENA. p. 1.

CAPUT I.

De Carminis Jobi genere, argumento et consilio. 11.

CAPUT II.

De universa ejus oeconomia et indole poëtica. . 30.

CAPUT III.

De sermonum rhythmicorum serie nexuque praestabili . . . . 73.

CAPUT IV.

De singularum, quibus Jobéis constat, orationum genio dotibusque.

Notato generatim charactere poëtico, ... 119.

SECTIO I.

agit: de imaginationis et ingenii vi, affectuumque et personarum lineamentis; . . . . 123.

SECTIO II.

De Carminis dictione, rhythmo cet. . . . . . . 170.

PROLEGOMENA.

Quotiescunque varias Interpretum curas, seculorum decursu in Jobi librum insumtas, attenta mente considero, *tum* dignissima utique mihi videri solet, quam huic cumprimis antiquitatis monumento navaverint, opera, *tum* vero quadamtenus supervacaneum, quod illi ulterius interpretando etiamnunc a viris doctis impendatur lucubrationis studium. Nimirum, inter omnes, qui de illa re judicare possunt, constare puto, tanta hanc Literarum S. partem eminere et argumenti dignitate, et externi habitus majestate atque decore, quanto vix alius ingenii felicioris foetus gaudere videatur. Nam si ad rerum, quae illa continentur, materiam animum advertamus, nonne summi eam momenti, eruditorumque lucubrationibus dignam esse judicetur? Quod quidem non de primario tantum Poëmatis ar-

gumento, augustam puta Providentiae dispensationem, dicimus. Est quippe multae simul et variae fons doctrinae, est uberrima egregiarum quarumvis notitiarum penus grande illud, de quo agere institui, carmen Jobeum. Qualem enim quantamque inde sibi comparet utilitatem diligens historiae humanitatis indagator? Hic enimvero religionis, cui addicti fuere prisci mortales; hic morum, quibus assueti, artium item ac disciplinarum, quarum elementis erant imbuti, manifesta ubique deprehendet indicia: quid? quod Orientalium inprimis literarum studiis, infinitum est dicere, quantum promovendis exornandisque assidua conducat Poëmatis lectio et commentatio erudita. — Sed vero sexcenties, multoque, quam nobis licet, curatius ab aliis disputata, otioso hic non repetemus sermone. Ipsa scilicet ab eo nos retinet instituti nostri, quod aliorsum spectat, ratio. Quod idem de mirifica operis inventione, omnique adeo, quam dicebam, ejus forma externa, tota illa poëtica, intelligi velim; in quibus quippe diligentius perlustrandis, justoque suo statuendis pretio, omnis haec nostra, quam molimur, disputatio potissimum versabitur.

Itaque quum, uti, nemine facile repugnante, jam fidenter hic affirmare nobis sumimus, longe praecellentissimus sacri hujus carminis et usus sit et dignitas, non sane mirum cuiquam illud videri potest, quod vel ex solo Interpretum elencho, quem Scholiis suis Jobeïs praefixit Rosenmüllerus, in oculos incurrit, omni scilicet opera ac contentione ad commentandum unicum illud pretiosumque κειμήλιον,

ad excutiendos gnaviter ipsius thesauros, ad explanandas denique ejus universe rationes atque originem, se contulisse doctorum quorumcunque et semidoctorum hominum turbam pene incredibilem. Qua quidem simul animadversione sponte ad id delabimur, quod *altero* posueram loco, rectaque nos ad ipsum ducet nostrae disputationis propositum. Videlicet post tot praeclarorum ingeniorum labores, post miranda inprimis, quibus recentius aevum in illustranda Jobeïde desudavit, conamina, tum operam perditurum ferme illum pronunciem, qui Carminis natales, tenebris obductos densissimis, lumini exponere cum maxime periclitetur; tum labori, cui supersedere forte satius fuerit, se accingere, qui altos illius sensus multo clariore, quam quae hactenus allata est, luce perfundere gestiat.

Enimvero, principio quidem, quis inter mortales Oedipus nobis problema illud, dicam? an aenigma abstrusissimum solvat, quod de Jobi, quin, haud minore etiam cum alucinationis alea, de ipsius divini Jobeïdis poëtae persona, aetate, cet. a multis retro seculis incassum videas agitari? Tam in diversa, nec mirum! hic, ad hodiernum usque diem, abeunt interpretes; tam molestis passim te implicant hypothesium et commentorum tricis, ut Ariadneum, quo ex hoc opinionum labyrintho elucteris, filum desideres. — Quod autem ad alterum hoc attinet, quod commemorabam; adeo fausto, ut plurimum, omine, ad explicanda ea, quae in hoc prisci monumento aevi revera explicatui apta sunt, nostra et patrum memoria accessere magnae eruditionis laude

clari viri; tantoque acumine ingenii et industria recentissimi quidam rem suam egere commentatores, ut producendis in medium novis multis, iisdemque simul probabilibus, ad juvandam, grammatico — historicae, quae dicitur, exegeseos ope, libri intelligentiam, haud amplus etiamnunc relictus esse videatur locus. Nominanda deinceps, oblata occasione, erunt patriae illa, et Germanicae terrae, quibus soles Orientis nitidissimi affulsere, lumina: nobis quidem grate illorum uti inventis, splendoreque, quem spargunt, collustrari liceat; usque dum ampliora otia, et magis subactum hisce studiis ingenium, rectam Hebraei vatis interpretationem non contemnendis aliquando ditare permittant accessionibus.

Quid autem; ut jam, munita nobis his observatis via, ad enarrandam propositi nostri rationem propius accedamus; quid causae tandem fuisse arbitreris, quod, posthabita quodammodo diligentiori, atque ex professo instituta poëticae libri indolis notatione, ad agitandas de eo difficiles, quae nunquam ad liquidum perducentur, controversias potissimum spectaverit anxia multorum industria? Quive id factum dicat aliquis, quod multo quidem fructuosius, ut in constituendo, ingenti cum doctrinae apparatu, genuino Carminis sensu, neglectis nimium ipsius veneribus, unice fere occupatae fuerint magnorum Interpretum curae et molimina? Hoc quidem, uti ex rite perpenso, quo hae literae, et quae arctissime cum iis connexae sunt, theologicae disciplinae, primitus excultae fuerunt, consilio ac

ratione, sponte perspicacioribus planum fiet; ita obiter has perstringendi causas quaedam deinceps etiam nobis redibit opportunitas. Hic tantum rem ipsam animadvertisse juvabit. — Scilicet, fuere quidem, id quod laeti gratique agnoscimus, hoc maxime et superiore seculo, qui praeclaram pulcritudini Jobeïdis poëticae et indagandae, et vero aliis commendandae darent operam. Lowthi, Michaelis, Herderi, Eichhornii item, ex Batavisque Ravii ac Muntinghii tantummodo hic nomina appello, et consummatae mox elegantiae imago, subtilorisque, quem ad commentandum vatem excelsum attulere, venustatis sensus, nunquam interitura legenti subit recordatio. Horum autem vestigiis quam laudabiliter, his nostris diebus, Umbreitus, et, quem nostrates venerantur, Palmius, institere! Veruntamen non nisi symbolas fere, utut opimas et pretiosas illas, ad aestheticam, quam voce, barbara quidem, sed suavissimi sensus, nuncupant, carminis nostri contemplationem crisinque Doctorum illa dedit cohors. Aliud agendo rem attigere tantum, vel in interpretandi officio perfunctorie illam notarunt, aliquamve modo ejus partem, singulari commentatione, suo pulchri subjecere judicio. Totum Jobi librum, ut venerandum, quale est, Orientalis, antiquae, eximiaeque omnino poëseos monumentum, copiose et ordine exponere, atque ad pulcri adeo, quae in his valet, normam ac leges universa in illo et singula accurate exigere: hoc vero est, quod nemo unus, quantum sciam, huc usque aggressus est.

Age igitur, novam, cum Numine, rem moliamur, candidusque lector faveat operi, quod in me suscipiens, sentio, quam grave sit et operosum. Hanc autem, ne tanti incepti molem ferre recusent humeri, curam atque sollicitudinem dispellit aliquatenus, et parati, de quo mox diximus, ad consilium rite exsequendum subsidii cogitatio, et vero intima amoris, quo elegantissimum argumentum complectimur, conscientia. Haec autem, si non omne fallit augurium, ad multas magnas difficultates superandas nos egregie adjuvabunt. — Atqui vero dignam utique esse, quam prae aliis bene multis tantopere in deliciis habeamus materiam; in eo quidem nos unum quemque ingenuum nobiscum consentientem habituros esse arbitramur. Quid? quod eorum, quae de Jobi libro disputari solent, omnium facile gravissimum, quodque sedula elaboretur opera dignissimum, illud esse, quod instituimus, commentationis genus, haud dubitanter pronunciare sustinemus. Una quippe vox est cujuscunque in genere hoc literarum versati, inter complures, quas maximas possidet haec veteris codicis S. particula dotes, atque usus praestabiles, insigni praeprimis sua excellentia eminere vim illam admirabilem, quae, toto libelli complexu, singulisque ejus partibus, ad extollendos tendit mortales animos, vim, inquam, vere summeque in paucis poëticam. Quam si virorum elegantium vocem, aestumatissimumque concentum, indubiis sequens pagina haud comprobare valeat documentis, commentatoris tenuitati, qui talis ac tanti majestatem argumenti assequendo im-

par fuerit, defectum, ipso me auctore, adscribas. Salva enim et intaminata manere debet laus immortalis, quisquis ille fuerit, stupendi dramatis Jobeï poëtae. Cujus si contra honoratissimum caput virente aliqua inter dios, quos Musa mori vetat, vates laurea cingere nobis contingat, et seculi, quod vivimus, studiis obsecuti fuisse, et, quod maximum est, non inutilem profecto nec inertem peregisse operam nobis videbimur.

Scilicet, ut ab illo incipiamus, ἀισθητικὴν illam, quam praedicavi, artem disciplinamve latissime hac aetate videas dominari; in omnibus pulcri venustique rationem habere homines; Charitum judicio permittere omnia: ad magnificae denique concinnaeve normam quandam elegantiae quaecunque, et sensibus subjecta, et ab iis remota, exigere. Cui quidni indulgendum judicemus aequalium studio? quippe et innocuo, dummodo justos intra fines arceatur; et hominis adeo docti ac pii persona apprime digno, quin multis ipsi de causis fructuosissimo. Rei sane in sacris usum abunde comprobatum videmus. Illi enim pulcritudinis aucupio, strenuaeque elegantiarum, quae has exornant literas, investigandarum aemulationi acceptam referimus laetissimam observationum vere aurearum saturam, quibus Muntinghii, Palmiique, ne alios nominem, in nostratium commodum, Codicis Vet. carmina lumine gratiaque bearunt. Quod quantum in ipsius religionis, divinitus his oraculis patefactae, existimationem cesserit commendationemque apud cultos ejusmodi homines, bonarum literarum aman-

tes, quibus formae in scriptis venustate nihil quidquam habetur antiquius; id quidem, uti facile per se suspicatu, ita pluribus exponere non hujus loci est. Quid autem in universum etiam emolumenti, ad rectam Librorum sacrorum interpretationem, liberaliusque omnino disciplinae sanctioris studium, ista attulerint conamina; et hoc digito tanquam hic indicasse, intelligentioribus satis fuerit. — Quare ilico alacres ad operam tendimus, praeclara scilicet jam inter ardua, quae exantlanda nobis sumsimus, spe erecti atque confirmati. Spes autem et exspectatio nostra haecce est, fore, ut adjuvante Illo, cujus numine pleni, primaevi illi cecinere vates, non neminem, cui forte ad persentiscendam veram eorum majestatem divinitatemque friget quodammodo pectus, ob oculos posita illustri Jobeïdis imagine, in salubrem rapiamus poëticae ipsorum excellentiae, quae reverentiam instillet, majoraque de iis augurari suadeat, admirationem: sic vero simul omnibus, qui de coelo ad nos delata, genuinarum de Deo notitiarum monumenta casto pectore venerantur, haud contemnenda subministraturos nos esse confidimus hujus alendae venerationis, inflammandique amoris subsidia.

Verum enim vero, in latiorem hic fructuum, aliorum etiam, quos ex hoc nostro instituto redundaturos esse putamus, recensum excurrere, uti jactantiae quandam prae se ferre possit speciem, ita neque vacat, nec opus est. Ipsa scilicet, hac etiam in causa, pro se loqui debebit diatribe nostra. Quae si vere aliquam ad rerum divinarum studia,

nec non ad varios sensus religiosos acuendos augendosque vim et usum habeat, ipse illa sponte inde colliget, et in rem suam convertet lector prudens et diligens. — Quamobrem nec de dulcibus multa dicere attinet deliciis, quibus hujuscemodi de poëmate Jobi tractatu, perfusum iri liberaliores animos reor. Materiam certe omnis jejunitatis expertem, imo suavissimam esse et elegantissimam, quivis videt. Quid enim poësi universe jucundius? Quis Jobeïdis auctore multorum magis praeconiis celebratus poëta? Cujus adeoque omnes et singulas in numerato habuisse virtutes; cujus junctim expositis, quasi in tabula, dotibus, absolutam summi, qualis est, poëtae contueri imaginem: quae tandem hoc major queat cogitari voluptas, digniusque ingenuo homine mentis oblectamentum? A recta igitur ratione, ab oratione, concinna serie, rerumque inprimis et argumentorum delectu atque pondere hic, scio, pendebunt omnia. De quibus cernant alii, qui, quo erunt peritiores, eo et humaniores, atque adeo ad ignoscendum, ubicunque vel fuerimus lapsi, vel omnino ipsis non satisfecerimus, proniores. Quorum itaque scitas doctasque mihi gratissimas fore animadversiones, obtestor, ex blanda admonitione proficere speranti, cavillandi autem calumniandive pruritum haud curaturo.

Jam vero, ut ad rem ipsam veniamus, omnis bipartita erit nostra disputatio. Priori, quae hoc libello continetur, parte, *aestheticam*, (sit verbo hic et in sequentibus, venia!) Jobeïdis rationem in universum explicare conabimur: posterior vero, si

quidem ei elaborandae nobis otium detur, peculiari locorum insigniter poëticorum, imaginum item, aliorumque, sublimitatem carmini et decus conciliantium, dicabitur examini. Cujus quidem partis ulterius exponere rationem in praesenti supersedemus, quae ex insequentis etiam commentationis serie melius dein intelligetur. — Quae autem hoc ipso generalioris argumenti libello disputare aggredimur, qualia sint, quoque digesta modo et ordine decurrant, age, verbo indicemus.

Quatuor igitur capitibus totum rei pertractandae absolvemus ambitum; quorum *primo* de carminis genere, argumento et consilio quaedam, huc pertinere visa, praestruentur; *alterum* vero locum de inventione nostri poëtica, omnemque adeo exponet operis, qua summa ingenii vi concinnata et elaborata est, oeconomiam. Tum paulo latiora rursus spatia occupabit par illud capitum, quod *tertio* et *quarto* loco positum, curatius explicandum videbatur. *Illo* enim de tota sermonum libri rhythmicorum serie, et quasi compage, harmonica, omninoque praestabili agitur: *hoc* autem partium illarum, sive carminis proprie sic dicti, genium virtutesque singulas, in genere poëtico maximas fusius declarare annitimur. Verum simulatque ad loca ipsa deventum, quid nobis velimus, clarius ultro patebit. Hic summam rerum levissime perstrinxisse, brevitatis studio ductis aequi bonique consulat lector benevolus.

CAPUT I.

DE CARMINIS JOBI GENERE, ARGUMENTO ET CONSILIO.

Poëticam igitur libri Jobeï rationem indagaturi, jam statim in protritam illam incidimus, quam primo loco posui, de Carminis genere, argumento et consilio quaestionem.

Enim vero, ut hoc unum adhuc de universa, quam mihi scripsi, pertractationis lege praemoneam, quum generaliora quaedam priore hujus opusculi volumine de celebratissimi Poëmatis praestantia disputaturum me esse indicavi, non ea fuit mens, neque tam amplum arduumque mihi stetit propositum, ut in vastos evagando doctrinae de pulcro campos, excutiendisque prudenter elegantium, qui in his elaborarunt, virorum scriniis, novum quoddam, quod dialectica sese subtilitate venustique sensu commendet, aesthetices, ex Jobeïde deductae, ejusque identidem exemplo illustratae atque confirmatae, tanquam corpus et σύστημα compingerem. Non, inquam, universalibus hisce et abstractis, quas schola vocat, notionibus potissimum immorabor. Quippe opus, forsan meas excedens vires, non caperet etiam libri, triplo hoc qua-

druplove majoris ambitus: verum illud in animum induxi, quod et studiorum meorum rationi, et hodiernae adeo bonarum literarum conditioni atque usibus accommodatius videatur, brevem nimirum, sed absolutam fere totius at solius quoque libri Jobeï adumbrare imaginem, diligenter illam, quantum mei feret ingenii modulus, ad poëseos normam atque leges, dudum, ipsa natura duce, a summis ingeniis sancitas, exigendam.

Ab ejusmodi autem commentationis filo nequaquam universalium illorum, quae dicebam, stamina, quibus scilicet hoc totum velut intextum est, exulare posse, quivis sponte intelliget. Neque ideo etiam quandam saltem probabilium omnis aevi poëtarum cum Nostro comparationem, ab hoc instituto alienam, aut minus necessariam, duxerit aliquis. Quare haud inanem me universo hoc V. Foederis libro in illum, quem significavi, finem accurate perscrutando praestiturum esse operam ratus, quo gratior haec omnibus accidat, et vero sua semet integritate intelligentibus possit probare, ad aeterna illa, quae sanior sensus et ratio fixit, pulcri criteria, ubicunque opus erit, provocare, aliisque etiam monumentis poëticis conferendis rem, quam ago, illustrare non praetermittam. In omni autem hoc negotio, quantum mihi passim profuerit Auctorum, quales sunt Popius, Blairius, Krugius, alii, qui de literis elegantioribus artibusque ingenuis praeceperunt, familiarior usus, vix opus est dicere. Quorum quidem decreta et opiniones, non nominatim, ob modestam, quam

hujusmodi scriptionis elegantia poscere videtur, in citando parsimoniam, commemorandae, quam saepe vim habuerint ad nostras de poësi Jobea meditationes moderandas confirmandasque, ex hujus Capitis serie forte jam aliquatenus apparebit.

§ 1.

Quod igitur, ut ipsam rem aggrediamur, ad lubricam illam, quae hic in ipso limine, uti significavimus, habenda nobis venit, disputationem attinet, cui tanquam fundamento ulterior deinde superstruenda erit praeclarae viae et artis indagatio, qua id, quod animo volvebat, poëtice conflaverit exornaritque summus Orientis vates: de *primo* quidem eorum, quae hic in censum veniunt, germana nimirum libri hujus poëtici indole, scriptionisque, ad quam inprimis ejus argumentum pertineat, specie, dubius haerere nequit quicunque vel levissimam cum eo contraxerit familiaritatem. Quippe ex contemplativo rerum *genere*, ex philosophorum proxime ditione, quae sub sensus non cadant, studiose explorantium, rem esse, quam sibi tractandam sumsit altioris ingenii Vates, omnia clamant; uno omnes ore profitentur. Est nimirum summi omnium Arbitri moderamen, est sortis humanae stupenda saepe ipsorumque moribus haud congrua dispensatio, quae sub examen hominis caduci, omnia rimari audentis, vocatur; sunt veterum sapientum frustranea prorsus tenebricosissimi aenigmatis solvendi conami-

na. In vindicando providi Numinis jure et honore omnis rei cardo vertitur: sublime hoc thema ab initio usque ad finem Poëmatis perductum conspicias; quin nulla fere in pagina abstrusi problematis mentionem plane desideres.

Quibus rite perpensis, nemo sane aequus harum rerum judex magnopere miretur, volubilem et alacrem istum, quem, ut hoc utar, in Homero et Ossiano adamamus, rerum cursum et impetum, quo innumeris factorum scenarumque vicibus omnia moventur, in nostro rarius inveniri vate, adeoque et lectissima illa voluptate, qua epica et dramatica, Graecorum inprimis, scripta lectorem permulceant, saepe nos in Jobeïde non affici. — At enim vero id in hujus carminis obtrectationem cedere haud quaquam largietur is, qui plus quam perfunctoria et ad volatiles tantum pulcri sensus captandos comparata illud lectione triverit; grandi enim ubique cothurno incedentem adstupebit poëtam, ingeniique divinioris vi ac laeta ubertate id abunde compensatum esse animadvertet, quod ob argumenti minus poëtici indolem, de grata animi commotione nonnunquam decedat. Quibus cum dotibus si porro conjunctos cernas augustos quoscunque de Deo rebusque divinis sensus, graves quarumvis rerum descriptiones, affectuum nominatim picturas, quibus nihil se humani alienum a sese putasse, testatum fecit Poëta: hac igitur lauta, vereque poëtica, ut ita dicam, supellectile ditatum, nec ulli sacro profanove vati ab hac parte secundum, facile rapida, qua alii mentem tuam feriunt, actionum

vi ac varietate carere sines Jobeïdis auctorem. Quid? quod ipsam unam et aequabilem illam sermonum hujus libri faciem tam lucido varioque genii poëtici colore tinctam deprehendemus, ut, vel invita rerum tractandarum materia ac ratione, omnia motu, actione, vita beentur, et in viridantia sublimioris heroïcae poëseos prata excurrere nobis identidem videamur. — Sed huic disputationi suus infra demum erit locus.

§ 2.

Jam illo *argumento*, quod ea cum mentis acie, talique, quo deinceps, data opera, videbimus, phantasiae vigore, egregiis suis numeris exsecutus est vetus poëta, diligentius lustrando hoc efficiamus, ut *rerum*, quas tractaverit et *copiam* et *pondus*, sapientemque adeo earum *delectum*, in tabula quasi ob oculos positum, rite teneamus animo.

Generis quidem inprimis philosophici esse hujus Carminis summam, jam innuimus; posses et theologicum nuncupare, vel, si mavis, teleologicum, aut theodiceae quandam speciem, qua de Dei O. M. consiliis ac finibus, in rerum humanarum regimine observandis, fuse ac subtiliter, quantum poëseos fert ratio, disceptetur. Universum igitur notionum, quas aureo libello complexas videmus, ambitum, ad conciliandum protinus ipsi, gravissimi operis nomine, legentis favorem, breviter delineaturis, en nobis, evolvenda pagina quaque Jobea, singulisque ibi obviis effatis secundum rationis prae-

cepta digerendis, haec se offert rerum, quae divino vatis ingenio obversata, verbisque radiantibus posteritati tradita fuere, tam dives, quam admirabilis summa.

Quod primum quidem ad illud attinet, ex quo artificiosum totius nectitur Poëmatis filum; quemadmodum in Maeonio vate celebrata est *μῆνις* illa *Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος οὐλομένη*, ex qua omnia pependere, quaeque

...... *μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε*,

ita et a Jobeïdis auctore in scenam producitur persona singularis idemque gravis, vir nimirum probus, pietate erga Deum nemini mortalium postponendus; sed, eheu! misere affligitur ille, et infandos inter cruciatus ad vitae non vitalis terminos pervenisse videtur, (Cap. I). Ad explorandam scilicet manifestandamque simul *εὐσεβείας* constantiam haec illi divinitus eveniunt mala, cum tranquillae beataeque vitae ergo Deum mercenario cultu prosecutus esse posset videri (ibid.).

Talis autem ac tanta calamitas uberem hominibus, qui abdita gubernationis divinae consilia rimari nequeunt, praebet sciscitandi et a vero aberrandi materiam. — Ob pietatem suam, ita rationes supputant illi, nemo mortalium puniri queat, necesse est: ex scelere igitur qualicunque repetendum est, si virum probum in vastum miseriarum gurgitem detrusum videas (C. XXII). En castigationem, propter clam perpetratum crimen, ipsi inflictam (XXXVI): nam virtutem semper bona quaevis insequuntur; praeclare illam remuneratur Deus (ibid.): imo, vi-

ta bene ac pie agenda, non alium sibi finem proponere possunt mortales, nisi ut praemia reportent divina (XXII). — Jam si calamitosus Dei cultor castigationi mentem advertat, ductusque poenitentia ad meliorem redeat frugem, salutem sibi instauratam videbit; ex gravissimo eum mortis discrimine vindicabit Deus: dum ex vitae ante actae miseriis insperata ac laeta efflorescet felicitas (IV. V. VIII. XXII. XXXVI.). Tum autem semet ipse reum arguat, nec suae virtuti, sed Numini benefico recuperatae salutis honorem tribuat oportet (XXXIII). Sin vero talem sese gerere recuset, sors ignominiosa tandem ipsi parabitur; cum ex aerumnis eum erigere voluerit Deus (XXXVI). Hinc fit etiam, ut tot ubivis cernas oppressos, irrito fletu liberationem vindictamque implorantes; scilicet non aequo, ut decet, animo sua perferunt mala (XXXV).

Quid vero impius, qui obstinato animo in nequitia persistit sua? Brevis et fluxa semper est, qua se effert, prosperitas (V: 3—7. VIII), certusque interitus, (VIII. XV), qui ipsi, tanquam commerita (XVIII) merces divina (XXXVI), ex inopinato et misere accidit (IV. XX).

Summi enim Numinis, cujus majestati quaevis sese sociam adjungit perfecta virtus (XXXVI), moderamen est ejusmodi, ut suae se demonstret justitiae vindicem, qua demta Ipsius sub imperio consistere non posset mundus. *Απροσωπόληπτα* et severa sunt ista Dei judicia (XXXIV). Nemo, nedum mortalis homo, iniquitatis insimulare sustineat Illum, in quem non cadit injuriae labes vel levissima (VIII).

Jam doloribus aeger ille, qui nullius sibi sceleris conscius, atrocis, quod ipsi incumbit, fati consilia non magis perspecta habet, hasce de rei altae et imperviae ratione prodit sententias: Mirabilium mysteriorum coecique arbitrii plenum videtur regimen mundi (XII). Illa ad humanae prudentiae ac juris scita nullo possis modo exigere (XXI). Suum enim cuique tribuens justitiae exercitium haud quaquam constans illius moderaminis norma est (XXIV). Quidquid scilicet sibi placeat, perficit Deus, nec mortalium voluntate aut votis ad hoc illudve induci se patitur (XXIII). Alioquin, si hominis causam dirimere dignaretur, hic justus ab Illo posset declarari, (ibid.). At enim vero Deus, quod bene inprimis tenendum, humanae dictamina justitiae non sequitur, neque coram Eo vacuum culpa sese quisquam praestare valet (IX). Nihilominus dure illum, cujus virtutem cognitam perspectamque habet, tractare, id vero non est, quod Creatorem erga opus suum deceat. Ne miser ejusmodi homunculus nasceretur, cavisse oportuit Illum (X). Non tantum valet iste, ut inimici sui loco ipsum habeat Dominus (VII). Sed iterum, potentia ac gloria praecellit Numen illud divinum. Qui comprehendere possit animo atque ore eloqui, nemo unus est, majestatem illam, quae in hac terra adornanda, in meteoris terrestribus aeque ac maritimis, in noctium dierumque vicissitudinibus conspiciendam se praebet (XXVI). Illius est sublimis illa sapientia, quae rerum, a se creatarum rationes perspicit; cum homini hanc ut ipsius assignaverit sapientiam, revereri Numen, et

odisse malum (XXVIII). — Sic complures videas improbos, quibus bene cedunt omnia, licet saepissime etiam accidat, eos hac in vita suppliciis affligi gravissimis. Nonnunquam autem posteris maleficorum scelera rependit Deus (XXI): quin, historia teste, quod inprimis mirere, nefarii quidam et exsecrabiles homines totam inulti absolvunt vitam suam (XXIV). Et undenam, quaeso, universe repetenda tam dispar, qualem obtinere videmus, humanae sortis dispensatio? (XXI).

Deus magnus est et excelsus; haec illi passim regerunt aerumnoso (XXV). Qui infinitam suam majestatem hominum nequitia non imminutam videt, eorumve pietate adauctam (XXXV). Illum nec culpam fateri, nec tanquam injuriam commissam reparare posse terrigenae, vitiis commaculato, in promptu est (XXXIV); cum ne luna quidem et stellae coram Illo labe immunes sint (XXV).

Jam hocce misero restat solamen: Unus integrae ipsius vitae testis est Deus, cui plene de illa est persuasum (XXIII). Improbo melius se habet, iniquo quamvis fato oppressus, Dei cultor. Ille crebro hac in vita patrati facinoris mercedem experitur, nemine ipsum lugente, quin exsultantibus laetitia justis (XXVII). Nae, innocens, si quando causam suam coram Deo agat, victor abibit (XXXI).

Ad quae identidem reponitur: Deo eorum, quae agit, rationem reddere non incumbit (XXXIII). Expostulationes audit quidem, videtque injuriam, imo judicii parat diem, sed praestolari fas est Illum (XXXV). — Divina nemo mente assequi, nec imitari

valet opera. Male sani igitur est cum Numine litem agere velle, cujus majestas etiam operum magnificentiam infinitum quantum antecellit. Cum agendi rationem summi rerum Domini animo complecti mortalium non sit, neque Ille eorum, quae decernit, causas ac fines manifestet, modeste in iis acquiescendum est (XXXVII).

Quid plura? Ex stupenda operum suorum magnitudine apparere, prorsus imparem esse hominem sermoni de imperii divini rationibus conserendo, nec hoc illi competere, ipse tandem asserit Deus (XXXVIII). Summam, quae in opificio mundi pellucet, potentiam nec non sapientiam jam praedicaverat Hujus antesignanus, ad quam si quis rite attendat, submissa ejus pectori instilletur patientia (XXXVI). Quibuscum jam concinit heroïca mens miseri; tenuitatem agnoscit suam, et reverenter tacendum esse Numini aequum ducit (XXXIX).

Denique sequentia superioribus tam verbo quam facto annexa videas placita sententiasque perquam gravissimas: Eximium est divinae circa res creatas curae spectaculum physica animantium hujus terrae oeconomia. Homo igitur suspicionem ne foveat aut diffidentiam erga talem ac tantum Patrem coelestem (ibid.) Absit, ut dispensationem divinam sugillet, quo innocentiam vindicet suam; ne Deum flagitet, ut maleficos e mundo exterminet, Deum, inquam, quo curante et in brutorum genere monstrosae quaecunque belluae aura vescuntur vitali (XL). Insigni passim decore et magnificentia splendent, quae in rerum natura sine utilitatis fructu exsistere mul-

tis videntur, portentosa quaedam animalium monstra. Summi ideoque Moderatoris viae, densa licet mysterii caligine tectae, aequa reprehensione immunes esse possint, necesse est (XLI). Benignum proin ac prudens Hujus regimen agnoscito incola terrae; qualemcunque Ejus obtrectationem nefas ducito, seriaque dignam animadversione. Deo remunerante, post exantlatas aerumnarum molestias, in ampliora tandem felicitatis spatia reducitur honesti ac probi studiosus; quo Optimi Maximi justitiam et beneficentiam metiare: (vid. ibid. Jobi verba et Epilogum).

Haec igitur sunt *rerum momenta*, quae per totum suum opus digesta, eximiaque inventionis et exornationis arte, poëtarum more concinnata, mente complexus est coelestis ille Musae alumnus, cui Jobeïdem acceptam referimus. De ipsa, qua in iis disponendis usus fuerit, arte poëtica mox (Cap. II et III), erit videndum. Jam nobilissimi, quod ingenii ejus aciem defixam tenuit, argumenti *pondus divitemque*, quam in tractando illo et ab omni parte lustrando expromsit, *penum* mirabundi suspicimus, nec quid a quoquam consummatius graviusque hoc in genere cogitatum et numeroso carminis modo consignatum sit, compertum habemus. Longo sanequam intervallo ab hujus granditate argumenti dissita sunt immortalia illorum vatum, quos docta Hellas, quosque cultum protulit Latium, monumenta: bellicae enim turbae ac triumphi, tum vero pacis artes, et quarumvis humanarum rerum vicissitudines, in quibus modulandis ista versantur, non

aeque augusto mentem percellunt sensu, ac celeberrima lis illa, de sancto et bono, at eodem inpervio summi Numinis moderamine, quam hic agitatam et ex uno miseri Jobi fato suspensam cernimus. — Haec igitur rei a Nostro pertractatae *vim gravitatemque* evincant. Ad alterum vero illud quod attinet: quis, quaeso, magis *varium* quendam *copiosumque* de ejusmodi materia tractatum sermone proditum poëtico, nobis commonstret, qui capaciorem simulque profundiorem sapiat mentis intelligentiam, quam implexae illae, sed eaedem tamen dilucidae, quas hic de ipsa consertas videas, orationes?

Quae cum ita sint, inprimis digna erit, quae jam nos detineat, quaestio, quid tandem tali ac tanto opere edendo sibi proposuerit vates Hebraeus.

§ 3.

Jam hoc quidem ex omnis aevi Interpretum alucinationibus sagaciori cuique perspicuum erit, germanum carminis Jobeï *consilium*, eumque, quem inprimis Poëta intendisse censendus sit, finem investigare, periculosae plenum esse opus aleae, nec facile a quoquam, uti in Prolegomenis jam submonitum, ad inconcussae, qua omnium dubiis satisfiat, certitudinis culmen pervehendam disputationem. Nupera etiam UMBREITI (1), KERNII (2), ali-

---

(1) In Introductione ad notissimum ipsius opusculum, cui tit.: *Das Buch Hiob. — Uebersetzung u. Auslegung.* Heidelb. 1824, Ed. 2da 1832.

(2) In Commentatione: *Ueb. den Inhalt u. Geist so wie*

orum, conamina, critici quamvis illa ingenii laude digna, rem non ad liquidum perduxere, imo conclamatam eam esse, fere nos docuerunt. Nec mirum illud accidere potest ei, qui Poëmatis hujus origines, totamque adeo naturam atque conformationem rite perpendat. Nam quis tandem ex incerti, sed quod omnia clamant, pervetusti monumento aevi temporis περίϛασεις, rerumque indolem, ad quas illud pertineat, scriptionemque suam referre voluerit auctor, efficiat, nisi ipse hoc aliquo modo oblique vel disertius innuat? Id autem non factum esse, accurata totius Carminis lectio satis superque docet. Sed haec jam non multum ad nos. Versari enim, quam instituimus, disputatio inprimis debet in definiendo probabili fine, quem Jobeïdis conditori, qua *poëtae*, obversatum fuisse animo, res ac ratio flagitent.

Et hic quidem tutius aliquantum commentatori procedere licet, quam in altera illa quaestione, magis historica, fieri potest. Si scilicet, seposita lubrica ista de temporum hominumque ratione, quibus haec sua meletemata adaptaverit Noster, hypothesi, rem in universum spectamus, deque solo anquirimus, qui illum ad scribendum duxerit, instinctu impulsuque poëtico, unumquemque id nobis sponte daturum esse censemus, quod *primum*

üb. d. dichterl. Werth des Buches Hiob, inserta diario Bengeliano: *Archiv* VIII *Band*, 352, 1826; nec non in ejusdem: *Vergleichung der von* Umbreit *vorgetr. Ansicht üb. das B. Hiob. Als Anhang zu vorstehenden Abhandl.*, ibid. p. 394.

ex omni operis complexu genioque recta conclusione derivare nobis videmur, non quidem famae alicujus sibi comparandae causa, non intentis in publicam existimationem applausumque oculis, longum ejus filum absolvisse poëtam. Haud sane hoc simplicis istius castaeque erat antiquitatis, neque tale quid ulla redolet Jobeïdis pagina, quod sequiori tempore in aliis quibusdam ingenii poëtici speciminibus obtinuisse relatum legimus, ut virorum in civitate principum benevolentiae, popularisve aurae captandae studium potens fuerit stimulus, quo ad condenda monumenta aevum duratura induci sese passi sint egregii bene multi Apollinis sacerdotes. Sic literaria Graecorum certamina, in quibus immortali se beatum laude sentiebat, cui poëtices palmam aliis praeripere contigisset, omnibus nota sunt; sic et, quod propius ad rem nostram accedit, inter Arabes, summi quivis Musae cultores honorificentissimae in aede Meccana suspensionis carminum suorum, quae inde Moallakat (معلّقات) audiunt, desiderio flagrantes, ad grandisonos cantus, gentis more effundendos, incendebantur. — Alia omnia, inquam, in Hebraeo vate comperimus. Integerrimam naturae, Deique, auctoris ejus, vim sapiunt cunctae illius notiones et imagines, et ipsius adeo stili poëtici habitus; in quibus minus expolita quidem, neque praeceptis artis ex asse respondentia plura passim reperias, affectata autem, et ambitiosius quaesita, quibus scatent quandoque elegantissima ceteroquin Arabum carmina, nulla, quantum

equidem scio, offendas. Non igitur potuere non, una, quam dixi, alma illa matre instigante, sublimique mentis volatui alas praebente, quale et in celebratissimi, qui supra excitatus est, Bardi Caledonici reliquiis observare licet, prolati esse rhythmi Jobeï.

Scilicet, quod *deinde* bene teneri velim, longe aliud quid fuisse constat, cui hic liber suam debet originem, quam quod post constitutas demum res publicas, vigente literarum luce, et immutata maximopere hominum vitae ratione ac studiis, in hodiernis bonarum artium monumentis usu venire videmus. Praemeditate, ut plurimum, et composito animo, auctorum gens se ad opus accingit; ni ignobilioribus, quos modo attigi, levis gloriolae vel et lucri comparandi motibus exstimulentur, fixum veruntamen, et nonnunquam unicum, tam ligata quam prosa oratione scribentium mentibus inhaeret, docendi populares, gratisve eos sensibus afficiendi consilium: quo quidem cohibitum plus aequo saepe cernas ingenuum illum ardentemque, ex quo poësis efflorescit, animi impetum. Hoc enimvero incitatos, hoc in sidera raptos se nobis sistunt antiqui illi gentis Israëliticae vates, quorum omne testatur eloquium:

«Est Deus in nobis, agitante calescimus Ipso."

Et quidni ad altius etiam, quam vel ipsum Amosum, Habacucum, Iesajamve, furoris, (si verbo uti liceat), ejusmodi poëtici fastigium adscendisse unicum illum assereremus Poëtam, in quo omnia vivunt, candentibus fervent ignibus omnia, praerup-

taque ex sermocinantium ore verba tanquam ebulliunt? His igitur aestuosis pectoris commotionibus, intimo rerum, quas meditabatur, sensu excitatis, condendae Jobeïdos suae institutum proxime attribuere consentaneum erit. Quam in praecordiis fovebat vividam gravissimae veritatis notionem persuasionemque intra se continere nequivisse ipsum arbitramur. Jam derepente vasta cogitatorum exsilit moles; in infinitum, recentique semper fervore, volvitur anceps de divina in regundis hominum rebus cura disceptatio; qua libere ventilanda allevatum quodammodo, instar illius, quem nobis pingit, Elihui, gravidum magnaque molientem cernas poëtae animum.

Ex eodem enimvero vel consimili certe fonte egregia permulta promanarunt non Hebraicae tantum, sed omnis antiquitatis monumenta. Ἔνθεοι fuere illorum auctores, affectu quacunque via suborto perciti totique abrepti. Quod autem minime ita intelligendum, acsi absque multa et seria mentis consideratione et probabili aliquo, quem ferire gestiverit, scopo, impotenti quodam oestri poëtici impulsu duci se passum fuisse pronunciaremus paginae Jobeae scriptorem. Imo vero quod in omni, qui a ratione proficiscitur, ingeniorum foetu animadvertere licet, scilicet utilitatis cujusdam persuadendo probandove aliis afferendae consilium unumquemque profiteri philosophum, oratorem atque poëtam, hoc igitur ipsum carmini, de quo agimus, quam longissime sane abest, ut denegatum eamus. Nae, feliciter tactam, quam ob oculos sibi constituerat, me-

tam reverendo potius Vati, quantum in nobis est, gratulamur. Quid enim? Fiducia quamvis illa, qua multi interpretum certae cuidam historiae periodo rerumve opportunitati sermonum hujus libri seriem alligare cum ratione posse sibi videntur, lubentes nos carere fateamur, id tamen non temere statuendum in genere ducimus, elatos illos, quibus plenum se sentiebat de divino arbitrio sensus etiam aequalium animis instillare sibi propositum habuisse auctorem. Citra hanc enim hypothesin, quae S. Literarum genio usuique divinitus constituto respondens, vehementi illa, quam praedicavimus, animi concitatione poëtica haud necessario evellitur, omnium profecto, quae in literarum republica exstiterunt, prodigiorum maximum censendum foret carmen hocce Jobeum, quippe quod diligentissima, uti deinceps videbimus, cura conflatum digestumque, tum vero elegantissime ubivis exornatum et ad consummationis quendam terminum perductum, sic tamen sibi cecinisset uni vates antiquus.

Jam si ex variis de genuino et primario, quod ipsius menti inhaeserit, consilio conjecturis, habita universim poëmatis ratione, delectus quidam est faciendus, hancce prae aliis amplectemur sententiam, ostensum iri in illo, quam sit ardua, longissimeque vires humanas exsuperet pervulgata illa de Deo, mortalium fata mire saepius moderante, disputatio. Hoc quidem magno dignissimum poëta et philosopho thema praeclare canoris exsecutus est numeris; in hunc, inquam, scopum, superstructa historiae Jobeae sermocinantium quorundam sapientum ratio-

cinatione acutissima aeque ac ποιητικώτατῃ, haud frustra, consentientibus aequis rerum arbitris, collineavit. » Si Theodicéam concinnare voluit," ita scite animadversum Viro docto, florente, eheu! aetate rebus mortalibus erepto, (1) » non ad liquidum perductae sunt vindiciae, quas parare voluisse videtur, divinae, sed de industria non eo perductae sunt et vox loquentium faucibus haesit," quo luculenter appareat id, quod tanquam fabulae summam ac finem informare tibi queas, non esse hominis, excelsa rimari summi omnium Rectoris consilia.

Istiusmodi autem hujus Carminis finis et scopus, praestantissimus sane atque gravissimus, singulari cum ingenii poëtici solertia, de qua plenius infra, tecte quidem, at intelligenti sat dilucide significatus, quidni summam vatis, ex minus culta aetate et gente prognati, vim animi arguat, praesentemque adeo ipsi testetur, quem pie sit reveritus, quique mentis suae facultates ad magna quaevis evexerit, Deum? Hujus igitur provido Numini, cui hocce antiquae sapientiae documentum ut ad nos quoque perferretur, ratum fuit, laetabundi universam illam acceptam ferimus utilitatem, quam ad nobiliores pulcri bonique sensus alendos seria ejus meditatio nobis praestare possit, et, quod demum cunque peculiare

(1) Clarissium dico Theologiae Professorem nuper Groninganum, cujus haec fere verba habentur in plagulis quibusdam, vernacule editis, quibus paulo post viri eximii obitum ipsius memoriam gratus recoluit discipulus, jam successor, Clar. Hofstede de Groot.

ac privum fuerit anonymi Auctoris, popularium respectu, consilium, Illum, qui ingenuum hujus animum ad praeclara ejusmodi acuit producenda, grati veneremur, quod hoc auro cariore libello similia nostris etiam suggerere voluit animis, qualia suorum praecordiis insinuare studuisse Poëtam, haud vana conjectura augurari nobis videmur.

CAPUT II.

DE UNIVERSA JOBEIDIS OECONOMIA ET INDOLE POËTICA.

Quanam igitur ratione in hoc suo argumento poëtarum more informando exornandoque versatus sit Noster, jam videamus, et, quae generalioris hujusce de Jobeide disputationis altera, neque momento rerum longe minima pars est, *inventio* Operis poëtica, omninoque ejus *oeconomia* et *elaboratio* ad justam aesthetici, quod dicitur, examinis lancem revocetur. Est nimirum, omnium consensu, qui aliquid in his vident, haud mediocris in breviore hoc V. Codicis S. volumine animadvertenda poëticae virtutis excellentia; quam universe, quoad totam illius conformationem complexumque, explicare nunc nobis incumbit, postmodo in ipsam Sermonum Libelli indolem vere poëticam ulterius inquisituris.

§ 1.

Si quidem sumere liceat, in quo non multos nobis repugnantes habituros esse putamus, summam eorum, quae his in paginis, sub manifesto poëtici apparatus involucro, enarrantur, magna cum pro-

babilitatis specie, pro re vere facta habendam esse, vixisse nempe, remotiore aevo, Virum quendam, nomine, vel, si mavis, repetito ex ipsius fatis cognomine (1) *Jobum,* cui, Numinis nutu atque auspiciis, infausta quaevis acciderunt, quemque inviserunt familiares, ut ipsum, nescio quibus sermonibus, ex aevi ingenio depromtis, consolatoriis scilicet! ut prae se ferebant, sed ad erigendum huncce virum plane ineptis, alloquerentur; haec igitur si simpliciter teneamus, illud simul, quod paulo ante innuimus, non longa opus habebit demonstratione, Poëtam, qui sublimi, quod historiae huic subnectere moliebatur, meletemate plenus, ad illud scripto consignandum se accingebat, *Naturae* quippe alumnum et antistitem, et vero sub *Orientis* coelo natum, non potuisse non tali, id quod animo volvebat, pertractare ratione, qualem hic deprehendimus, scilicet non sedate et leniter, non dimensa frigidaque ratiocinatione, sed *incitato animo*, sed stilo forti ac vivido, crebris distincto imaginibus, verbo

---

(1) Quomodo a rad. אוב, Arab. أُوب *redire*, i. e. *converti ad Deum*, *resipiscere*, II أَوَّبَ *laudavit Deum*, nomen *Jobi*, אִיּוֹב أَوَّابٌ, juxta quamplurimos derivandum sit, a Bernsteinio autem ab אָיַב, *infensus fuit*, passiva significatione ducatur *hostiliter* (a fato) *tractatus*, vid. in Rosenm. Scholiis uberioribus, Prolegg. p. 4 et 5. Umbreito haec, Interpretationis suae pag. 1 et 2 repetenti eatenus adstipulamur, quoad dubitat, an omnino nomen symbolico sensu capiendum sit.

dicam, poëtico. Ceterum ita rem suam egit, ut summi, quo pollebat, *ingenii* indubitata ubique praebuerit indicia; amplam enim rerum, non levium profecto neque vulgarium, mentis meditatione *invenit,* inque tabula quasi pinxit, materiam; in cujus rite perpensae ac digestae exornatione, mirabili eum arte ac successu usum fuisse deinceps videbimus.

§ 2.

His quidem de eo, quod Auctor sacer tali, quo in hoc libro fit, modo animi sui de re gravissima sensus poëtice explicuerit, verbulo generatim praestructis, jam ad enucleanda praecipua, quae ad hunc locum pertinent, rerum momenta accedamus.

Et *primum* quidem nobis caput illud sit, quod postremum memorabam, quodque de *inventione* agit poëtica, quam illum in usus suos adhibuisse, cum ratione statuendum putem. Neque enim hoc nobis vitio vertat quisquam, quod eam Vati Hebraeo adjudicare non dubitamus. Quod nempe dudum idonea argumentorum vi a Viris, aeque Literas S. reveritis ac sagacibus, comprobatum fuit, ab hoc vero abludit instituto, ut fuse denuo explicetur, id igitur ex omnibus deinceps disputandis meridiana clarius luce apparebit, ad poëseos scilicet parabolicae genus rectissime referri tantum non omnia ea, quae de variis Jobi fatis et dictis hoc in libro relata leguntur. Hic autem loci de insigni, quod in universo illo emicat, ἑυρεσεως lumine istud tantummodo nobis, infra (Cap. III) de sermonibus Carmi-

nis rhythmicis, mox vero (Cap. II § 6, 7) de ejusdem Prologo atque Epilogo plenius acturis, observasse suffecerit, quanto ille mentis creatricis valuerit vigore Poëta, qui post enarratam Heroïs sui indolem et inopinam miseriam, factamque, qui consolandi ergo ipsum convenerant, sodalium mentionem, tale sermones conserentium schema adornavit, quale etiamnum mirabundi adspicimus, cunctaque stupebit non iniqua posteritas.

In vulgus cognita in genere est hujus dramatis, nam semel ita appellare liceat, oeconomia. Sed non omnibus aeque perspectus est colloquentium iste consessus, quod ad interiorem ejus, ipsorumque adeo dialogorum, vim ac rationem. De hisce, altius itidem post indagandis, obiter hic notentur sequentia. — Quatuor sunt numero Viri illi, quos vibranti linguae acie contendentes, in scenam producit poëmatis auctor. Princeps omnium est partesque agit potiores miser ille, ineluctabili quidem, infandum! fato oppressus, sed magnanimitate, sapientia, eloquio longe ceteris praevalens. Quum trinis quidem hujus amicis ita mens et oratio defecisset, ut socio nil nisi tritum possent centiesque repetitum reponere, hic, licet aeger doloribus, innocentia tamen sua velut muro aheneo septus, victor e certamine procedit. Sed en novum bellatorem! E medio quippe auditorum coetu, (hos enim omni sapientum illorum altercationi interfuisse, non diserte quidem dicit, sed digito tanquam nobis commonstrat poëta), vocem tandem attollit Vir quidam juvenis, qui aetatis causa hucusque mentis sensa intra se continue-

rat. Elihuum illum Buzitam totum in eo esse videmus, ut Jobum, virtutis suae conscientia exsultantem redarguat, et vero etiam multa a sociis iniquius et abs re dicta emendet. De Numinis igitur jure ac majestate cum carminis heroe, suo modo, expostulans, aptam affert gratamque scenae varietatem; atque omni adeo causae Jobéae ad aptum terminum deducendae egregie nova ipsius faciunt rationum momenta. Per haec enim viam gravi illi ac splendido parat sermoni, quem ad difficillimum nodum, quantum divina majestas et humana fert tenuitas, solvendum, ultimus ipse habuisse fingitur mundi Creator ac Gubernator Deus.

Quis, quaeso, levi hacce oeconomiae poëticae adumbratione, non jam praeclari vestigia ingenii, inque ipsius, quae κυρίως sic dicitur, artis ignoratione, vel saltem infantia, prudentissimi tamen et Aristotelicis adeo placitis ex aequo fere respondentis artificii indicia agnoscat minime vulgaria? Scilicet, quas critica philosophorum industria poësi leges scripsit, ex optimorum humani ingenii monumentorum contemplatione derivatas, illae in quemcunque terrarum orbis vatem, qui sibi innatum rite excoluerit pulcri et magnifici sensum, non possunt non apprime quadrare. Quod in Nostro clarius etiam elucebit, ubi de singulorum in Jobeïdos scena actorum indole, variis coloribus eleganter distincta, agendum nobis erit.

Non autem hic praevia quoque quaedam praetermittenda est *Epilogi*, qui poëticos tandem rhythmos excipit, mentio. Et sane, uti, demtis, quemadmo-

dum magni quidam voluere Interpretes, illis argumenti plane historici, quibus libellus aperitur clauditurque, pericopis, tanquam sine capite et pedibus corpus esset poëma Jobéum, ita nominatim ea, quae in fine comparet, sagacem ingeniosissimi auctoris prudentiam prodit relatio. Hac enim stupendus paratur rerum exitus, quo amicorum una omnes confunduntur obtestationes, non nisi scelus confitendo fundendisque meliorem in posterum vitam ducendi votis fieri posse, ut in integrum restituatur miserabilis Jobus. Atqui ne ullius quidem ipse semet reum egerat tecti facinoris, imo vero innocentiam strenue usque asseruerat suam, et nihilo tamen secius Viri non tantum redintegratur felicitas, sed ad multo ampliorem hic extollitur fortunae dignitatisque locum. En lucidam germani, quo infausta quaevis perpessus fuerat Dei cultor, consilii patefactionem! Quod verbis significare operi manuum suarum non decebat Omnipotentem; quod ne cogitando quidem assecutus fuerat malorum turba oppressus ille; cujus loco alia sibi finxerant omnia iniqui consolatores, id ipsum in Carminis introductione tanquam divinus Jobi πάθηματων finis pulcra allegoria subindicatum, luculentissime in ultima constantis Deoque probati Viri sorte, adstupentibus omnibus, declaratur. Sic utique finis libelli, quo demum mirifice, quaecunque distorta et perplexa visa fuerant, instaurantur, eminentissimo sensu totum coronat Opus.

§ 3.

Atqui non sola illud ingenii et inventionis vi cernendum est. Ut enim recte et ab omni, qua decet, parte aestimetur Poëma, in censum quoque veniat oportet *alterum* illud, quod attigi, *originis* nempe ac *conditionis*, qua erat illius auctor, observatio. Quae si rite teneantur, nemo sanus erit, qui solemnia primaevi hujus monumenti modulamina ex hodiernae poëseos regulis velit metiri. Quippe ex eo illud esse carminum genere significavimus, quod ab una fertilissima insignium poëtarum genitrice Natura ortum duxit suum. Orientis praeterea, ad quem pertinet, ubique spirat genium. — Ut ab *illo* ordiamur; nemini profecto, paginas Jobéas attentius pervolventi, nativa illa non in oculos incurret simplicitas, qua sensa, poëtae animo suborta, non adhibito studio longiore limaque, sed, veluti pectoris tela, ex ore vibrantur: unde et factum videas, ut in hoc literarum et artium cultu impeditior passim ac minus grata nostris hominibus exsistat cogitatorum series, totaque eorundem elocutio. Quem si jam naturae candorem cum excelsi et acris ingenii radiis, qui in omni Carmine emicant, componas, eo magis in nostri Poëtae, ut solis minora inter sidera fulgentis, admirationem rapiare necesse est. Quid enim augustius animo concipiamus ejusmodi opere, quod luculenta, pectus esse, quod disertos facit, prodens vestigia, fulgentes simul ubique spargit ingenii, ad alta nati, scintillas? Ne vero hic in deinceps disputandorum materiem impor-

tunius falcem immittamus, incomtioris quodammodo minusque perpolitae illius, quam Nostro tribuimus, poëseos speciminibus, quae suus docto cuique sensus sponte suggeret, recensendis in praesenti supersedebimus. Quid autem de recentiorum quorundam in Germania Interpretum conjectura existimandum sit, juxta quam Carminis quidem aliquod veluti schema poëticum ad remotius pertinuerit aevum, ulterior vero ejus exornatio, ad eamque, qua nunc illud habemus, amplitudinem et elegantiam deducta elaboratio sequiori aetati, et quidem, si nonnullos audias, Babylonicae captivitatis periodo assignanda sit; de hoc igitur placito, quod idoneis nondum suffultum comperimus argumentis, (1) cujusque adeo epicrisis cum hujus consilio scriptionis non necessario nexu cohaeret, viderint alii. Illud facile, opinor, nobis dabunt aequi harum rerum arbitri, etiamsi monumento, ipsa forsan aera Mosaica haud inferiori, tantam merito inesse miramur poëticae facultatis perfectionem, non rite tamen eorum procedere rationes, qui eo ipso illud antiquiori cuidam abjudicent auctori, praefractius videlicet negantes, ab ejusmodi temporum simplicitate generisque humani quasi infantia, proficisci potuisse tam solerti cura conflatum digestumque opus. Quid enim? Nostrumne erit, aetatum ac ingeniorum rationem,

(1) Cf. censuram Interpretationum, ab EICHHORNIO, ROSENMÜLLERO et UMBREITO editarum, insertam SCHWARTZII diario: Jahrbücher der Theologie, 1825, S. 426, 433, 434, ubi satis speciose et eleganter de his disseritur; quibus tamen quominus adstipuler, multa me impediunt.

quid illa ferre valeant, quid minus, ita accurate mente metiri ac finire? Et si non temere omnino dictum, vix singulis seculis singulos nasci bonos poëtas; si scilicet Naturae donum est singularis istiusmodi imaginandi, inveniendi, creandi, quin apte etiam cuncta compingendi adornandique vis et efficacia, qui, quaeso, tam insolens ducatur et portentosum, in minus fausta etiam, quae quidem nobis videtur, temporum ac rerum conditione egregium talem, longe inter aequales sagacissimum, floruisse regiminis Divini celebratorem ac vindicem? Certe tam manifestus universo hujus Carmini impressus est illius, quam diximus, aetatis character; ita prisci omnia mundi redolent cogitandi sentiendique rationem ac normam, vivendi item et loquendi aliunde nobis cognitum morem, ut propterea ad serioris aevi nescio quem virum doctum et artificiosum, qui tanquam novus Jobéidis exstiterit editor, equidem recurrere minime pronus sum. Quare enim hic in veteri, quae ponitur, de Jobo relatione poëtica istas antiquitatis notas non, sui se accommodans seculi genio, deleverit, mirum profecto videatur. Et eo quidem minus scita haec, (debita enim sua ne laude careat), se mihi probarit hypothesis, quo facilius admirandam illam, qua gravari ipsius patronos video, inventionis praestantiam in cujusvis aevi ac gentis vate, ex luto meliore formato, cum ratione admitti, me judice, posse significaverim.

Qualem igitur quantumque illum praedicemus esse Poëtam, qui, Naturae indulgens flamini, prae-

clarum ejus sese sacerdotem praestitit, Poëtam, inquam, cui in paucis uni tam licuit esse felici, ut cultissimas etiam nationes, atque posteritatem adeo, ad erectiores sensus natam, in venerabundum animi stuporem, qui non immerito facultatis poëticae culmen censetur, rapuerit et ad hunc usque diem rapiat! Haec enimvero est ingenuae illius, in qua Nostrum dominari videmus, poëseos, quae sibi relicta, ex mero commoti animi ardore impulsuque efflorescit, vis ac ratio, ut in quocunque pectore, quod ad purum naturae sensum se non prorsus obfirmaverit, nec in medio vitae civilis et bonarum artium splendore, almae hujus parentis gremio foveri dedignetur, suavissime identidem castam suam gravemque vocem, quippe ab origine cunctis communem, reciprocet. Hanc igitur ex praeterlapsorum seculorum ruderibus ad nos perlatam arrectis alacriter auribus excipiamus; gratissimo hujus intelligendo degustandoque sono nos totos demus, ut quod, Numinis auspiciis, monumentum saeva obliterare nequivit temporis injuria, omnem illum animo reddat honesti pulcrique fructum, quo ad spirituum Patris, verae omnis pulcritudinis et harmoniae fontis, pie concelebrandas laudes impellamur.

§ 4.

Quod ut felicius cedat, hoc etiam, quod modo posuimus, rite cum animo reputare quam maxime interest, in *Oriente* scilicet, uti nos Europei loquimur, natum esse Poëtam, qui praeclare adeo mo-

dulantem suam in Jobeïde vocem attollat. Hoc quidem dici vix potest, quantam in dignoscenda universe ponderandaque Carminis hujus indole genioque vim habeat. Ex hac profecto Vatis origine bene multa quoque derivanda eorum, quae illius Poëma, quemadmodum praecedente § monui, et nostris hominibus ad intelligendum difficile, et vero etiam ad gratos ex eo sensus percipiendos, saepe minus idoneum reddunt. Distat quippe toto coelo a nobis, qui in Occidente vitam degimus, poëtae cujuscunque Orientales plagas incolentis, tam sentiendi, quum sensa animi significandi, mos et ratio. Quae, uti omnibus, qui has colunt literas, trita et planissima est observatio, ita nemo erit intelligentior, qui non hanc ipsam ob causam, ad hauriendos animo poëseos ejusmodi lepores ac veneres, id nobiscum necesse ducat, ut cum gentium Asiaticarum consuetudine et ingenio intimam quis contrahat familiaritatem, totusque habitet veluti et vivat inter illas. Sic sane alto incedentem cothurno, longissimeque de semita, quam terere suevimus hodierni homines, deflectentem Hebraeum poëtam in audaci, quo nos ad astra vehit, impetu quodammodo, nec sine insigni mentis delectatione, sequemur. Sin minus, frigebunt nobis omnia, et in tentoriis Nabathaeis prorsus hospites, sapientumque Idumaeorum praeruptam fere fastidientes grandiloquentiam, ad summum elegantium quarundam picturarum, Occidentis forte gustui accommodatiorum laude non satis intellectum condecorabimus Vatem divinum. Quapropter in imos penetrare conemur poëtices,

quae Semiticae stirpis priva est et quasi indigena, recessus, ut ne, Orientis tanquam aura intacti, ad magnum et multiplex primarii, quod ille tulit, Poëmatis decus hebescamus.

In omni igitur hoc monumento Jobéo perquam ille color pellucet, genius ille spirat Orientalis, multo quidem efficacius etiam crebriusve, quam in aliis quibusdam Hebraicae Musae *κειμήλιοις*, Davidica, e. g. ipsaque adeo Mosaïca poësi. Si enim ad rerum notiones et imagines, in Jobeïde obvias, animum advertas, si ad verba item, quibus singula enunciantur, ubique ad aliud coelum solumque te translatum sentias: quid? quod tam universa Carminis oeconomia seriesque, quam quorumvis ipsius membrorum et partium exornandorum modus, ab eo, qui apud nos invaluit, tanto distat intervallo, quanto ab Occidentalibus remotae sunt terrae, solis ad ortum sitae. Cuinam autem, doctrinae et artium, quas Aurorae coluere populi, gnaro non continuo hic menti obversetur proxima Jobeïdis cum notissimis horum monumentis affinitas? Ut, si in gravi ista quam instruxit auctor, sapientum congressione non quidem genuinam quis adspiciat imaginem et quasi *πρωτότυπον* celebratorum per Orientem Consessuum, quibus docta Arabum aliorumque semet exercuere ingenia (1), in plurimis

(1) Cf. quae de his disseruit Doct. REISKE ad *Abulf. Ann.* T. III. p. 728 et L. F. C. ROSENMÜLLER in lib., qui inscribitur: *Ueber einen arab. Roman des* HARIRI, Leipz. 1801. Multi cum DOEDERLINIO stant viri docti, in

certe aliis libri proprietatibus egregiam observare similitudinem cuique, uno eum tenore perlegenti, in promtu sit; quod idem ex larga exemplorum, posthac adducendorum, copia nobis identidem fiet clarissimum. Gravissimo itaque huic Orientis sono probe assuefacti; hac, inquam, venustatis et decentiae limites, quos sibi nostri figunt homines, crebrius quidem migrante poësi, quam istis regionibus propriam, in quoscunque tamen etiam vates, una duce Natura usos, cadere, teste historia certum est, penitus veluti innutriti: tum demum ingenuo inprimis, auscultanda Musa Jobéa, fruemur animi oblectamento. Pulcritudinis enim, uti omnis, ita poëticae, sensus, utut unus, et, ab alma quippe illa, quam saepius praedicavi, matre inditus, omnibus singulisque communis, quam tamen varie sese, secundum variam gentium indolem moresque exserat, non est, quod moneamus. Quare hanc mihi in sequenti pertractatione legem scribam, et tu, candide, quaeso, ipse tibi scribito, lector! ut Maeonium vatem et Maronem, ut Schilleros, By-

---

Scholiis ad libr. poët. V. T. p. 170, dicenti: » Amant Orientis viri eruditi conciliabula consessusque privatos, disputationibus, praelectionibus carminum, et poësi extemporaneae de rebus ad se gentisque suae facta et decus, ad religionem, ad rerum humanarum sapientiam pertinentibus dicatos; atque hodie adhuc conservant illa instituta, antiquis Arabibus *Macamat*, مقامات dicta, referente Niebuhrio *Descript. Arab.* p. 107.'' Vid. autem Rosenm. *Schol. in V. T.* P. IX. Vol. II. p. 6.

RONIOS, LA-MARTINIOSQUE et BILDERDIJKIOS aliquantisper obliti, alieni tanquam orbis modulationibus aures accommodemus, et, palmarum veluti sub umbra, mediosque inter deserti accolas, ad carpendos uvidos ingenii eorum fructus, docili quodam nec iniquo nimis devertamur animo. Si quidem enim suavi illo, quo alii, quibus adsuevimus, Apollinis sacerdotes phantasiam offundere nostram valent, lenimento subinde carebimus; si in salebrosum saepius, nec longo hominum usu cultum solum poëtae manu nobis duci videbimur, sententiarum tamen, totiusque elocutionis, pondus majestatemque prorsus incomparabilem in multis, ab Oriente ad nos perlatis monumentis conspicuam, in Jobéo praeprimis volumine mirabundi percipiemus. Quod ipsum, nisi me omnia fallunt, apud quemlibet, praejudicatis haud impeditum opinionibus, hanc habebit vim, ut vatem illum, qui poëticam, quam a naturae Domino acceperat (§ 3), gentisque more suae excoluerat (§ 4), dotem, tanto cum ingeniosissimae mentis acumine (§ 2) in gravissimo explicuit carmine, non ulli quarumvis nationum temporumque poëtae facile judicet secundum.

§ 5.

Age igitur, quo pleniorem dictis assensum conciliemus, a generaliori, in quam hactenus intenti eramus, Poëmatis contemplatione, ad interiorem ejus habitum ac formam lustrandam, eamque adeo juxta ratas pulcri ac sublimis leges exigendam, se con-

vertat nostra oratio! Scilicet, dum propius ipsum intueor, raram in universo operis complexu eminere video in exponendis singulis prudentiam, in exornandis vero copiam ac felicitatem, in adducendis denique ad propositum finem omnibus solertiam, praestantissimo ingenio dignam. His enimvero virtutibus, quas in quocunque, speciatim poëtico, ingeniorum foetu exoptatissimas, nimis passim desideramus, suo se jure extollere vetustum, quod a Jobo nomen habet, poëma, hoc quidem est, quod ut clariore in luce collocetur, sequenti commentatione nobis opera danda erit. — *Sermonum* quidem illorum seriem, quibus longe maxima libri pars absolvitur, ipsum Jobeïdos, ut ita dicam, corpus constituere, et *Carmen* κατ' ἐξοχὴν appellandum esse, norunt omnes. Hujus igitur aestimandis virtutibus, percipiendaeque elegantiae, qua condecoretur, poëticae ut ampliora uno et altero deinceps Capite spatia assignemus, res ipsa poscere videtur. Ut vero praecipua omnia, quae hic in censum veniunt, rite absolvamus, haud dissimilem quoque pertractationem illae sibi flagitant partes, quae Carminis *prologum* nec non *epilogum* continent. In his autem, quippe minoris ambitus, et planioris adeo in universum indolis et argumenti, paucioribus hic jam defungi licebit.

§ 6.

In concinnando igitur enarrandoque eo, quod, qualis demum cunque historiae fundamento subni-

xus (§ 1), nec non ingenio felicissimo usus (§ 2), volutaverat animo et cum gente tribuve sua communicare apud se constituerat (Cap. I. § 3), argumento poëtico (Cap. I. § 2), praeclare versatum esse Jobeïdis auctorem, jam statim ipsum, opinor, quod cunctis praefixit, *exordium* palam facit. Illud scilicet, historicam quamvis prae se ferens faciem, simplicisque Hebraeorum in narrando stili colore tinctum, nihilo secius tamen ipsum tam manifesta effictae summi vatis arte Parabolae prodit vestigia, ut de hoc una fere inter doctos hodie feratur sententia. Idem de *epilogo* tenendum, uti infra videbimus. Numeri, (hoc enim uti juvabit exemplo), ubivis rotundi, inter quos eminet *septenarius* ille, Orientis populis, nominatim Hebraeo, sacer habitus, nisi alia praesto essent documenta, rem soli conficerent (1). Jam tenui sane pulcri, quod in Scriptis dominatur, quae imaginationis vi et gratia cernuntur, sensu imbutus ille sit necesse est, qui non in plana illa ac brevi Jobi rerum ac morum pictura complures, easque variis genii poëtici notis passim insignitas deprehendat lineas, quae magni in hoc genere Viri audax et solers penicillum arguant. Itaque quum splendida hic phantasiae lumina, quorum ope rem, ut videtur, in facto positam multo locupletavit et variavit Poëta ornatu, percipere animo, et, quantum nobis quidem lice-

(1) Praeter alios, qui accurate hoc argumentum exsecuti sunt, vid., quem modo citavi, ROSENMÜLLERUS, in *Proll. ad Schol. in Jobum uberiora*, p. 5—8.

bit, ad aesthetices quandam redigere rationem conamur, absit eorum, si qui etiamnum inter eruditos sanctioris disciplinae cultores sunt, invidia, qui universum fere carmen Jobi res, exacte uti relatae habentur, sic etiam gestas complecti perhibent (2). Advertat animum potius, obsecro, quicunque haec nostra legerit, aequum et candidum; et licet in iis non multum novi (3) et exquisiti deprehendere sibi videatur, haec tamen, nisi spe votisque excidam, hujus qualiscunque libelli dos erit, quod animum, S. Voluminum reverentem, eximiae, quae illis inest, venustatis majestatisque explanatione, ad majorem etiam eorum existimationem, Deique adeo, quo moderante perscribebantur, gloriam sit erecturus. Quae quidem praeclara et summa ex illustris, cui explicando incumbimus, monumenti comparatione cum omni eo, quod in poësi praestantissi-

(2) Non nostrum hic est, hanc opinionem falsi arguere, quod abunde etiam factum a libri commentatoribus, qui plurimorum manibus teruntur, Dathio, Eichh., Umbreito, Rosenm. l. l., cet.

(3) Quod enim de condendi etiamnum, post tot ac tantas interpretum lucubrationes, Commentarii in librum Jobeum exegetici consilio animadvertit Vir quidam doctus in Diario Belgico, quod in Praefatione excitavi; idem forte aliquatenus de hac etiam scriptione asserat quis, praeoccupatam fere esse omnem, quae mihi excutienda venit, materiam ratus; quem tamen, ut ea quae in Prolegomenis, ad evincendum hujus instituti usum et quandam adeo novitatem, monui, perpendat, totumque item meae Commentationis argumentum atque rationem cum aliorum, qui ante in his versati sunt, scriptis, diligenter conferat, rogatum velim.

mum est, multo sane facilius derivanda fore confidimus, quam si, veritatem historicam mordicus tenendo, inextricabilium difficultatum mole nos obrui patiamur.

Jam igitur, ut propositum illum feliciter attingamus scopum, totum Jobeïdis initium, Capp. I et II comprehensum, ea persequamur ratione, ut, dum unicam istam ad pulcri leges exigimus tabulam, quodcunque in ea graphice ab Auctore pictum, et ad animum, poëtarum more, suaviter deliniendum percellendumve gravissime, comparatum videatur; identidem inter enarrandum velut digito commonstremus.

Ecce igitur tibi Virum inprimis bonum et pium, fausta ac laeta in conditione positum, prae omnibus Orientis, i. e. Arabiae, juxta vatem Hebraeum, incolis potentiae et opum fama celebratissimum, nomine *Jobum*, (Cap. I: 1—3). Native et simpliciter ducta, at grandia eadem adverte haec animi ipsius morumque lineamenta: *Integer erat rectusque, reverens Dei et a malo abhorrens*, (comm. 1). Ex eo autem ipso haud inconsiderate dicendorum initium fecit Auctor, tanquam summo non tantum, quo mortalis quis gaudeat, bono, sed vero etiam cardine, in quo omnis in sequentibus disputationis acies circumvolvatur. Concinne addit opulentiae atque possessionum herois sui recensum, quo mirifice deinde utetur. Id, quo nihil carius habuit Jobus, primo memoratur loco. *Septem illi filii erant, tres numero gnatae* (comm. 2). Sequitur aptissimus divitiarum, qualibus nomadici gestiebant principes,

elenchus, numeris itidem septenario et ternario, nec non quinario expressus, semper rotundis illis, rerumque inprimis rationi convenienter dispositis. *Septem habuit ovium millia, ter mille camelorum; quingenta adhaec boum juga, totidem asinas; familiam insuper servorum servarumque creberrimam*, (comm. 3). Habes hic Emiri nostri res in tabella tibi ob oculos positas, quae nescio utrum sua se simplicitate magis, an vero concinnitate commendet. Sed momenti haec minoris sunt, quam illa, quae mox tradentur, quorumque in gratiam in libelli limine comparent. Jam primum enim memoratum it Auctor ex viri hujus incomparabilis filiorumque ejus vivendi consuetudine ac moribus quoddam specimen, quo nos in medias eorum res inducit, eo quidem consilio, ut et egregiae granditatis, ex virtute oriundae, charactere Jobi sui indolem notet, et vero etiam eo ipso percipiendae sequentis relationis, ad quam sic aptum sibi transitum parat, acerrimum in legentium animis desiderium excitet. *Convivium*, inquit, *statis temporibus Jobi filii domi quisque suae apparare consueverant, ad quod et tres suas invitabant sorores. His autem peractis diebus, constans pii Patris mos erat, in piaculum liberorum, qui forte*, (*sic enim secum reputabat*), *media inter pocula festivosque jocos, Numinis reverentiam exuissent, holocaustis decem oblatis, apud Dominum intercedere* (comm. 4, 5). En venerandum gravemque antiquioris aevi Patriarcham, ex vivo delineatum, qualem nobis Abrahamum, tribuumque seniores apud Arabes, familiae aeque sa-

cerdotum ac principum munere et honore fungentes, sistit historia. Quidni vero et gratissimo insuper nos sensu affici dicamus, fraternam intuentes caritatem, quam aetate jam provectiores hujus Genitoris filii inter se et erga suas foverent sorores? Annon ad ingruens mox in tales viros tantumque Patrem familias infortunium serio deplorandum nos sollicitat imo cogit Poëta?

Subito scilicet scena vertitur. De terris in coelum nos sublatos videmus, et — mirabile dictu! omnis dehinc evanescit Jobi felicitas, inque vastissimum infandae miseriae voraginem detruditur fortunatissimus. Duplex hoc elegantissimae illius, ad quam contemplandam nunc devenimus, tabulae lumen nos fugiat nolim, — celerrima videlicet, qua rerum eventa sese excipiunt, successio cursusque, et miri quaedam atque inauditi facies, quam universa prae se fert narratio. *Illud* a commate maxime 13—19 egregie expingitur, *hujus* illustre specimen jam hic praesto est. Si quis enim, post ea, quae §i hujus initio monuimus, veram inter vel poëtico potius ingenio adauctam et excultam, quae in Jobeïde tractetur, historiam dubius adhuc haerere posset, omnem profecto fluctuandi ansam ambiguitatemque tollent ea, quae comm. 6 et seqq. tradit auctor, tam luculentis scilicet imaginationis vividae et vere creatricis insignita indiciis, ut nihil supra. Illic nimirum, propero impetu, ex tenui Jobeïdarum coetu ad tremendum summi Numinis tribunal ipsumque coelicolarum, id stipantium, congressum devehimur; ex cujus quidem longe augustissimi

concilii rationibus omne dein narrandorum filum suspendere, non sine insigni solertia visum est Poëtae. Quam apte autem ad Monarcharum terrestrium mores exacta, imo tota quanta anthropopathica, illa scena est! Quam sublimis simul gravisque nec summi rerum Arbitri majestate indigna! *Die quodam*, (ita summatim inducitur ea,) *convenere filii Dei, ut se sisterent coram Jova. Praesens quoque aderat ὁ* שָׂטָן. *Cui Ille: unde advenis? Ex obeundo, inquit, terrarum orbe. Ad quae Dominus: num quid cultorem meum animadvertisti Jobum, cui hoc quidem nomine mortalium nemo aequiparandus est? Sed jam delator ille, Jobusne, inquit, gratis Te reveretur, qui ipsum illiusque omnia sepimento*, ne quid damni capiant, *obduxisti, omnique eum felicitatis ac lautitiae genere beasti? Enimvero omnibus, quibus mactatus est, bonis jam manum immitte Tuam, ni palam cultui renunciet Tuo. Tum denuo Jova: en omnia, quae habet, tuo commissa sunto arbitrio; modo ipsi vim ne facito. Sic Ille; quibus auditis mox ex conspectu discessit Satanas* (comm. 6—12). — Quae si jam omnia et singula rectae rationis geniique poëtici metiamur modulo, quid magis mirari subeat, nescimus fere, ingeniosumne illud scientissimi auctoris artificium, quo horrenda, in quibus commentandis universum dein carmen versabitur, herois sui fata ex una hac narratione symbolica tanquam suspendere in animum induxerit, an vero aptas elegantesque pariter ac stupendas, quas in concinnanda illa

tabula adhibuerit, lineas et colores. De *illo* plura disputandi infra locus erit; *hoc* multis cum maxime explicare, intelligentiori cuique supervacaneum fere videatur. Etenim quotusquisque tandem est, quem non augusto quodam feriat sensu frequens ille animarum coelestium, qui hic figuratur, conventus, Angelique apparitoris simul praesentia? Cujusque summa mentem non pertentet suavitate sua grande illud, loquentium autem personis mirifice congruens, explorantis Numinis, reique gestae rationes reddentis Ministri delatoris, emblema? Vel denique valido laetitiae vicissim taediique non penetret affectu tum splendidissimum, quo ipse Deus O. M. cultorem suum ornat, elogium, tum vero invidiosa, qua alter ille de hac Jobi laude detrahere studet, observatio? Luculentam sanequam hic imaginem Monarchae boni et aequi, nec non satellitis administrique contuemur, quem justitiae vindicem, morumque strenuum in regno suo constituerit censorem. Videsis, quam rigide singulorum hic civium sensus ac consilia notet, diffidentiae ac suspicionis plenus, obtrectationi inhians. Quibus si jam adjungas nitidissimam, qua summi Moderatoris in Jobum munificentia expingitur, *sepis protectricis* metaphoram; gravem itidem gratamque *pecudis in terram quaquaversum prorumpentis* figuram (comm. 10), et aptissimam denique *salutationis valedictoriae* formulam, pro cultu, a Jobo in posterum Jovae recusando (comm. 11); habebis, si quid video, in parvi ambitus pericopa narrationem, historico quidem illam stilo perscriptam, sed universo suo habi-

tu ac tenore, et singulis lineamentis, poëseos normae genioque accommodatissimam.

Nec minoris utique elegantiae nomine se commendant sequentia. Quae in coelis decreta sunt, jam ad eventum properant. Hic praecipitem rerum volubilitatem, miramque irruentis variae calamitatis molem inprimis adstupeas. Si autem in rarissima malorum, eodem fere temporis articulo eundem miserum opprimentium, collisione animadvertamus quoque, quam convenienter tamen naturae rerum singula tradantur, in mediumque nos terribilis ruinae quasi theatrum transferat poëta, non possumus, quin ei exquisitae prorsus fictionis palmam deferamus. Sed ipsum, animo ad percipienda rerum portenta, verborumque pondera, composito, audiamus! Primum quidem ad familiam Jobéam nos redire jubet (comm. 13 coll. comm. 4). *Die quodam epulabantur in fratris primogeniti aedibus.* Hic velut ad gaudii commercium domestici lectores poëta invitare videtur. Quo laetiorem tibi scenam pandit, eo atrociori rerum conversioni intuendae paratus esto. Et gradatim quidem (quamvis non lento gradu!) ad funestissima procedit; in quibus climacem, quam vocant rhetores, splendidissimam praetermitti nolim. Nullius adhuc mali praesaga mens ad percipiendum novi quid exacuitur. Scilicet *ad Jobum*, narrante Nostro, *venit nuntius*, *ita referens:* » *arabant boves, et pascebantur juxta illos asinae*" (comm. 14). Quae quidem nondum triste sonant. Sed en tibi prolinus malorum Iliada! *Impetu facto*, *sic* pergit *ille*, *ceperunt armenta Sabaei*,

caesis ferro servis; ex quibus unus ego evasi, ut tibi haec renuntiarem (comm. 15). *Quem adhuc loquentem ita excepit alius: »Ignis fulmineus oves puerosque absumsit: equidem solus superstes, calamitatis tibi nuntius"* (comm. 16). *Subito tertius superveniens, Chaldaei, inquit, instructo triplici agmine, invasere camelos, eosque, trucidatis gladio famulis, abstulerunt: egomet unus neci elapsus sum, quo te de his certiorem reddam* (comm. 17). *Denique quartus omnium luctuosissima renuntiat haecce: »Convivabantur liberi tui in natu maximi aedibus; ecce vero turbo vehemens, e deserto exortus, in quatuor domus angulos irruit, qua collapsa omnes periere: — et ego solus e domesticis ad te venio nuntius incolumis"* (comm. 18, 19).

Uno singula haec commata tenore retulimus, ut ne quid de vivido commiserationis sensu, quem excitare voluit auctor, nobis decederet. Vix etiam poëticae vim inventionis in iis indicare opus est, quam apte v. c. Sabaeos Chaldaeosque, vicinos illarum, ubi rerum scena habetur, regionum praedatores induxerit; tum vero causas cujusque, quod Jobum obruebat, infortunii, homines, puta, rapinae inhiantes, fulmina, ventum, non sine grato variaverit delectu: nec vero etiam in perspicua pericopae sublimitate, vim ejus ad feriendum mortale pectus plane singularem, minuta membrorum resectione, debilitatum ibimus.

Ad reliquam potius narrationem procedamus. Nihil profecto jam magis lectoris interesse videbatur, quam ut summi Viri, cujus in libri initio de-

scribebatur pietas, inter tot ac tanta mala contueatur mores, commotique animi significationem audiat. Et hic quoque brevibus, sed alta spirantibus dictis defungitur Vates. Naufragi instar, in pelago quassati, qui amissis omnibus, vix ipse superest incolumis, graviter perculsum quidem nobis sistit heroem suum, sed eundem propositi tenacem et velut rupem, (ut hoc iterum utar), in media undarum rabie immobilem. Quam nobili utrumque exprimit schemate (comm. 20—22)! *Surrexit Jobus et scisso pallio,* — en aestum doloris, uti ex hominum Orientalium praecordiis violentius effervescit; quod idem et in proximis his observare est: — *tonso ille capite, in terram procubuit et Numen adoravit.* Luctuosius utique et vero sublimius spectaculum vix praebet ulla poësis aut historia. Nec nisi verbis, quae afflicto Viro hic ut et sequenti Capite tribuuntur, aequari illud superarive potest: *Nudus ex matris gremio prodii, nudusque eodem revertar; dederat Jova, idem abstulit; laudetur nomen Jovae! Hucusque igitur;* ita denuo Poëta; *nihil quidquam peccarat Jobus, neque effutiverat iniqua in Deum:* quae quidem animadversio quam apposite his annexa sit, infra videbimus. Tantisper hic attendas, quaeso, ad singularem harum Jobi sententiarum magnificentiam, et rutilantia orationis lumina. Num augustius quis quiddam et admirabilius animo informet concisa illa submissae media in infanda miseria mentis testificatione: *Dederat Jova* cet.? Nac ille inanem impendat operam, qui hujus declarare effati vim verbis quamquam gravissimis

annitatur! Sentienda talia sunt, non exponenda. Quapropter et satius duxerim, incomparabilem tantummodo indigitasse exclamationis illius עָרֹם יָצָתִי מִבֶּטֶן אִמִּי cet., hoc in temporis articulo pulcritudinem; in cujus altero praeterea hemistichio ipsa illa, qua matris *terrae* uterus, sive sepulcrum significatur, breviloquentia (אָשׁוּב שָׁמָּה), ad vehemens pathos declarandum inprimis facit.

His itaque missis, ad rei memorabilis exitum, quem Cap. II relatum legimus, properandum est. Quippe secunda jam mirae hujusce inducitur actionis scena, quae quidem horrore suo Jobi παθήμασι cumulum imponit. Tentatum denuo atrocissimis eum cruciatibus fingit Poëta, planissimeque ad incitas redactum; cujus iterum malorum incrementi causam ratione adumbrat sua, id est, stupenda prorsus et insolita. Scilicet altera vice nos in coelum sublimes rapit, idemque venerandum summi Domini Geniorumque conspiciendum dat concilium judiciale. Est eadem iterum crudelem inter illum humani generis exploratorem et ipsum coeli Monarcham sermocinatio, sed graviter jam laudibus, quas praedicat Jobéis, superaddit Dominus (II: 3): *Adhucdum ille integritati suae adhaerescit, quamquam tu me ad eum immerito perdendum impulisti.* In hisce ἀνθρωποπαθῆν illam poëtarum ab Oriente rationem, quae et apud Nostrum creberrima, magnum aliquando ejus sententiis pondus et decus addit, nemo non deprehendat.

Supremo autem Dynastae, in inconcussa Jobi pietate triumphanti malorumque, huic justa sine causa inflictorum, quadam quasi poenitentia ducto, jam regerit muneri exacte ingenio respondens Minister, nondum ita exagitatum illum esse Virum, ut seriae pietatis specimina, omni exceptione majora prodiderit. עוֹר בְּעַד עוֹר, *alterius cutem pro sua* — sic (comm. 4) suum pertinax consilium Jobi de celebratae fastigio virtutis detrudendi firma voce pronuntiat, — *imo quidquid habet homo, pro vita dabit sua;* ipsorum, vult dicere, carissimorum etiam capitum, quanto magis pecudis ac famulorum, dummodo de corio suo non ludatur, et hocce velut pretio animam ipse suam redimere possit, facile jacturam patitur egregie sui amans mortalium genus: *quapropter jam Jobi ipsius tange ossa et carnem*, ita pergit Numen expostulando, *ni cum probro Tibi coram vale dixerit. Ad quae* iterum *Jova: sit, inquit, arbitratui permissus tuo, vitae tantum Viri tibi est parcendum.*

Jam si in alterius hujus actionis, ut ita dicam, coelestis relatione poëtici rursus artificium ingenii notare vellemus; in apte scilicet colloquentium utrique afficto animi charactere, inque universae adeo rei, quae agitur, pictura omnino egregia, qua per gradus ad majorem assurgit illustris tabellae contemplator exspectationem; verendum esset, ne justo fortassis in eo, quod cuivis non hebetiori ultro pateat, verbosiores argueremur. Ingeniosum igitur, quod Poëta texuit, ulterius secuti narrationis filum, in ultima continuo illa incidimus, ad

horrorem commiserationemque excitandam inprimis composita, quae itidem memoranda tantum sunt, ut quis grandem viri talia concinnantis mentem metiatur. E conspectu Domini sui rursus terram versus festinans repraesentatur *ὁ* שָׂטָן (comm. 7). Quid multa? Hic saevissime, pro muneris sui atque indolis ratione, ampliore illa, qua indutus est, in Jobum utitur potestate. Dirissima nempe leprae, quae *elephantiasis* apud Medicos audit, specie ipsi infligenda, omnibus orbum jam porro vitam morte ipsa duriorem vivere jubet. *Tetris ulceribus*, ita refert auctor, *a capite eum ad calcem usque implevit.* Cujus igitur deplorandae conditionis hanc graphicam intueare picturam (comm. 8): *cutem testa scalpebat, mediisque in cineribus considebat.* Ad augendam immanem hujus scenae atrocitatem praeterea inducitur Jobi uxor, molestissima ipsum hujusmodi voce compellans: *adhucdum integritatem retinebis tuam? Valere Deum jubeas et moriare!* (comm. 9). Ad quae vero indomitus malis ille: *insanarum, inquit, more loqueris; itane vero bona accipiamus a Deo, nonne etiam mala?* (comm. 10). Jam significanter ultimum hocce, ob sublimem pii animi sensum, longe omni aevo celebratissimum effatum iterato excipit Auctor testimonio: *in his omnibus nihil quidquam peccasse suis labiis Jobum,* (ibid.); quo scite ad proxime sequentia alludit, in quibus multum passim a modesta de Deo loquendi ratione aberrantem eum repraesentabit.

Ad illud igitur admirabile rerum spectaculum,

quarum opportunitate talia elabebantur ἕρκος ὀδόντων, nunc disputatione deventum est. Posita scilicet ob oculos pulcerrima Viri, rebus in adversis aeque ac secundis integerrimi, imagine, ei, quod sic excitaverat, hujus ulterius cognoscendi studio in ampliore reliqua sui Operis parte gratificari felicissimo Poëta allaborat conatu. Enimvero ibi magnos quosque et sublimes in herois sui os indit sermones, ad quos, qui legerit, saepius ei exclamare subeat:

. . . . Obstupui, steteruntque comae!

Et quam venustum illud, quod invenit, schema est, quo talia loquentem Jobum, gravemque simul de Providentiae regimine inducat disputationem! Quorum, deinceps plenius a nobis degustandorum hic loci lustranda tantum venit ansa et occasio, in qua enarranda se velut ipse superasse dicendus est imaginationis vi longe praepollens vates. Nam quotusquisque est animo, ad poeticas virtutes persentiscendas nato, qui ea, quae in hujus Capitis fine commemorantur, audiens, temperet ab applausu et veneratione? — *Tres Jobi amici;* ita, concinno περίςασεων ac verborum adhibito delectu, refert Auctor, *audita omni, quae illum obruerat, calamitate, e loco quisque suo profecti sunt, Eliphazus Themanita, Bildadus Suchita, et Zopharus Naämathita; quippe condixerant una, adire eum, moerorem testificandi et consolandi gratia* (comm. 11). Hisce simpliciter traditis, mox ad concutiendum vehementissime humanum pectus faciunt habitus, vultus gestusque, quibus suam Jobo commiserationem

significasse adventantes Poëta sibi fingit amicos. *Sublatis nimirum e longinquo oculis non agnoverunt eum: tum alta ingemiscere voce, scindere pallia, pulverem coelum versus in caput spargere!* (comm. 12). Neque hic ineffabilis luctus terminus; sed per totam adeo *septimanam noctu dieque humi apud amicum consedere, nemine ei quicquam dicente, propterea quod ejus dolorem immanem esse viderent!* (comm. 13). Quid in tragico, inquam, genere majus sublimiusque excogitari possit muto tali dolore, qui vividum impotentis tristitiae impetum excipiat? Et, quod summum est, quis nobis prudentiorem Jobéidis auctore commonstret poëtam, qui nimirum ipso hoc profundo silentio tanquam opportunitate usus sit, unde sermones, dicendi aeque fervore ac copia illustrissimi, suam ducerent originem? Quam nempe instituere sibi proposuerat de re gravissima disceptationem, illius ingeniosiore non facile modo initium facere potuisse censendus est, quam per famosam illam Jobi cum Deo expostulationem (Cap. III), cui ex miseri ore extorquendae invidiosum illud, desperationemque excitans consolatorum silentium inprimis inserviebat. Ut enim ex tranquillo quandoque aëre tempestatem subito oboriri videas, aut latentes sub cinere scintillas in flammam omnia devastantem erumpere, ita peritissimum ingenii humani sese scrutatorem praestitisse puto poëtam, qui coacervatum longo dierum intervallo taedium taciturnum tandem uno quasi ictu violentius ex pectore prorupisse perhibet, et, quo variorum cumulata series malorum, ipsiusque etiam

conjugis exprobratio adigere nequiverant infelicissimum, inhumana id amicorum cum ipso agendi ratione effectum significat, ut nempe ἀμέτρως et in Deum injuriosius animi afflicti sensa exprομeret. Ex dira igitur isthae natalis diei exsecratione grandia illa omnia et splendentia nexuit dicta, quibus et Jobum oppugnant sodales, et ille strenue rem gerit suam, quorumque serie primarium simul istud, quod saepius nominavimus, Poëmatis consilium, vexatissimi scilicet de moderamine divino loci disceptatio, de magna parte absolvitur. — Jam vero aestheticae horum ceterrorumque Libri sermonum contemplationi, ob longiorem eorum ambitum multiplicemque elegantiam peculiaria tribuenda fore Commentationis nostrae capita, supra indicavimus. Hic igitur *Epilogi* statim habeatur ratio.

§ 7.

Hujus quidem indissolubile cum toto Carmine vinculum, quo tanquam coronidis loco ei subjunctus est, et luculentum ingenii, quo valuit ejus auctor, exhibet documentum, antea (§ 2) commerita, ut videtur, cum laude commemoravimus. Superest, ut hoc loco justum singulis, quae in brevi illa *conclusione* enitent, elegantiis pretium statuere allaboremus. Evolventibus igitur Jobéidis ultimum Caput, commate 7, ubi ad prosam orationem reditur, continuo venusta et grandis nobis offertur scena. Deus, juxta illud Poëtae, interest, quia dignus vindice nodus inciderat. Illi in proxime an-

tecedentibus postremae loquendi vices assignatae fuerant, et qua supremi majestate Numinis Jobum, audacius nonnunquam in se invectum represserat, ad poenitentiamque agendam adduxerat, eadem jam in amicos, multo gravioris, Ipso judice, delicti reos, animadvertisse figuratur. Atqui divinus ille actus accommodate iterum ad agnitam Ejus clementiam, simplicemque prisci, in quo rerum scena ponitur, aevi genium, introducitur. Ita videlicet triumvirorum principem Eliphazum affatus esse fertur Omnipotens: *Ira incensus sum in te, binosque socios tuos, quod non recte de me locuti estis, ut meus cultor Jobus. Agitote igitur, sumtis septem juvencis totidemque arietibus, Jobum adite meum, atque holocausta pro vobis sacrificate; tum ille pro vobis intercedat; forte enim ei indulgebo, ut vestram non rependam vobis dementiam, qui minus sana quam ille, de Me estis prolocuti* (XLII. 7, 8). Ecce tibi pulcram sapientis, aequi bonique rerum humanarum Arbitri imaginem, qui probe distinguere sciat viri inter pii, profundissimum in malorum gurgitem detrusi, verba indecentius effusa, et vero praeposteras illas, in quas male seduli consolatores, fastoso cum eloquentiae apparatu, excurrerant, regiminis divini vindicias. Quam autem venusto benignitatis inprimis et justitiae charactere Numen hisce lineis notetur, et cuivis planum est, et eo minus pluribus hic exponendum, cum mox eminentiora etiam horum specimina sese sint oblatura. *Jusso* nempe *divino obtemperantibus amicis*, ita rerum exitum enarrare pergit Auctor, *intercedentem*

pro iis Jobum exaudivit Jova. Qui et hujus res instauravit, postquam illorum causa precatus fuerat; quin omnia, quae habuerat, ipsi restituit duplo majora (comm. 9, 10). Jam Optimi Maximi intueare effigiem Dei, qui constantem in rebus dubiis pietatem, nec non erga socium, qui te indigne tractavit, clementiam eximiis rependat praemiis, cujusque munificentia omnem exsuperet mortalium exspectationem. Necdum absoluta est praeclara et miro spectatorem gaudii sensu perfundens tabella. Attexitur unum et alterum, quod illustrem scenam ornatiorem adhuc et hilariorem reddat. Si cogitatione redeamus ad amaras, quas inter sociorum colloquia saepe effuderat infelix Jobus, querimonias de horrore, quo familiares ipsius, tanquam abjectissimi hominis, longissime aversarentur consortium, dici vix potest, quantum ad delectandum animum illud faciat, quod hic jam omnia sunt in prosperum versa. *Venerunt omnes Jobi cognati et cognatae, quique ejus familiaritate antea usi fuerant, et cum eo in ejus aedibus convivantes, eum consolati doloremque suum testificati sunt de tot malis, quae ei inflixerat Jova; tum singuli ei singulas Kesitas, singulaque monilia aurea dederunt* (comm. 11). Huic etiam morum, ad aurei Patriarcharum aevi genium ex vivo expressorum descriptioni, dulcique adeo, quae singula pervadit, et tam dira atque atrocia subsequitur, lenitati non diutius immorabimur, ad graviora rhythmica sequenti Cap. curatius indaganda festinantes. Quapropter et de elegantiarum ratione, quarum plus una in ipsis ultimis ex-

stat commatibus, judicium sit penes lectorem. Hoc tantum non possumus non cum libri Interpretibus monere, quam scite Auctor, qui Deum omnia Jobéa duplicasse refert, solam sobolem pristinae numero parem ipsi restituisse tradat, cum decem liberorum familia duplo aucta minus probabiliter fingeretur. Neque venustissima illa oscitanter praeteriri velim lineamenta, quibus, postremae filiarum Jobi ternionis nominibus formaque indicanda, tabellae suae ultimam veluti exornantis manum admovere voluit Poëta. Quam belle nomen et omen habent omnium illae formosissimae natae (1), Parentisque grandaevi, grato recuperatae salutis jam perfusi sensu, decus sunt et oblectamentum! Quid denique in universum illustrius exoptatiusque tali, qualis Jobéa fuisse fingitur, senectute? Quid prisco vegetorum hominum, ad quercuum in silvis modum vigentium, accommodatius aevo? Scilicet post editum egregium illud intaminatae, media inter malorum discrimina, pietatis in Deum specimen, longissimo Jobus ac laetissimo mactatur vitae tramite. Centum et quadraginta huic a Poëta tribuuntur superadditi prioribus anni, felicitate insig-

(1) Comm. 14. יְמִימָה a יוֹם, יָמִים, quasi *pulcra ut dies, belle comme le jour;* קְצִיעָה *casiae instar fragrans;* קֶרֶן הַפּוּךְ »*cornu stibii*, a praestantia itidem formae, quod naturali sua forma aeque venusta esset et ornata, ac eae mulieres, quae stibio oculos fucant.'' Rosenm. in *Schol.* ad h. l., ubi plura vide.

nes, qua ei, licet jam provecta fruenti aetate et nuper tota orbato sobole, contigit tamen quartam liberorum suorum videre prosapiam. — Et haec quidem de ornatu poëtico, quo historicas monumenti Jobéi partes illustravit elegantissimus auctor, dicta sunto.

§ 8.

Verum enim vero, priusquam eum in ipso, ubi altius sese attollet, Operis tanquam meditullio versantem comitemur, de his, quae jam lustravimus, adhaec observasse non videtur supervacuum, quod illa et necessarias Poëmatis constituant partes, et vero etiam egregium ipsius ornamentum merito censenda sint. Quam aequo jure ex dictis me consecutionem ducere, nemo, opinor, facile iverit inficias. Ecquis enim, ut ab *altero* hoc ordiamur, istas pericopas, in ipsa prosae orationis simplicitate, eo, quo vidimus, poëtici ornatus lumine splendentes, fictioneque prorsus egregia illustres, indignas ipso nuncupare carmine sustineat? Quod longo stilus, quo conceptae sunt, intervallo distet a sermonum, quos praecedunt et insequuntur, grandiloquentia, id ipsum rite rem reputanti in Prologi Epilogique laudem cedere, nec minus consentaneum esse videbitur, quam remissior, qui in introductione ad elatas Elihui voces (Cap. XXXII: 1—6[a]) regnat, loquendi modus. Est enim utique sua cuique sermonis generi propria dicendi ratio, inque rebus narratione traditis, sive vere gestae sint, seu

παραβολῆς loco habendae, alto ejusmodi et exsultante offendimur incessu, quo graditur e. c. Saladini vitae ac laudum inflatus ille buccinator Ispahanensis. Enimvero, quantum per materiae indolem, salvaque simplicitate et sobrietate, quae vera in his est elegantia, fieri poterat, tantum poëtico quodam habitu et inductione illas Jobeïdis partes ad reliqua, altiore spiritu insignita, accedere, indubiis evicisse nobis videmur argumentis.

Neque autem hoc uno cernitur, quam ex Carminis exordio illo et peroratione in ipsum redundare praedicamus, dos et elegantia, sed totam etiam eorundem summam atque compagem, habita Poëmatis argumenti ratione, eo conducere, firma nobis stat persuasio. Quod si aequis harum rerum arbitris probaverimus, *alterum* etiam illud, quod modo posuimus, sponte se dabit. Si enim, uti supra (§ 2) jam submonitum, monstrosi quiddam, demtis illis, referret summum opus poëticum, pulcrum scilicet corpus, at capite, juxta aptam nonnullorum imaginem, et pedibus mutilum; quid, quaeso, vicissim eo, cum *introductione* sua, tum *conclusione* rite instructo consummatius, majoreque in hoc genere elegantiae laude insignius tibi fingere queas? *Illa* videlicet, uti audiendi miserabilis Jobi, cum amicis sermones conserturi, mirifice desiderium acuit, ita *haec* disputationis poëticae, omnisque adeo rei gravissimae exitum ex voto legentibus, illius percipiendi studiosissimis, exhibet. Praeter illa, quae in hanc partem de Epilogo (§ mox citata) praeoccupata sunt, notare hic quidem juvat, quam

concinnum commovendoque animo aptum sit utriusque extremi illius membri, quo cum mediis connectitur, vinculum. Si nempe consilii illius divini, quod in libelli initio illustrissima significatur figura symbolica, probe gnarus, ad sequentia legenda procedas, tum demum haec intentiorem omnem ad se trahent animi vim atque sollicitudinem. Sermonum decorem sublimitatemque, utut maximam, obliviscaris fere prae materiae, quae in illis agitatur, granditate, miraque, quae dissertationibus istis cum eo, quod sciveris, intercedit, conjunctione. Scilicet gravem illam admirere necesse est, quam de calamitatum Jobéarum ratione ac finibus instruxit Poëta, contentionis aciem: dum enim tibi, ab ipso meliora edocto, sublime explorandae manifestandaeque pietatis Jobéae consilium continue ante oculos obversatur, non poteris non undique conquisitis illis, quas magni de gente sua Viri jactasse finguntur, hariolationibus et opinionum portentis insigniter delectari; ipsiusque, quod ad finem comparet, Dei alloquium jam sua te majestate fortius percellet, atque aptissimum ab omni parte videbitur, quum illa, quae ab Optimo Maximo, qui factorum suorum non reddit rationes, reticeri animadvertis, disertissimis tibi verbis libri tradiderit Prologus. — Jam vero, si ultima quoque historica cum hisce componas, quam grata utique lux regiminis divini theatro, quod hoc exhibet Carmen, oboritur! Diffunduntur nebulae, quae atra Viri pii fata caligine texerant; solvitur nodus, cui extricando impares fuerant omnes, dum hic, auri instar lique-

facti probatus, posita in Deo fide, cumulatissima ab Eo, in summae approbationis testimonium, reportat praemia. Habes solutionem, tanto poëta, qualem se Noster ubique praestat, dignam! Quidquid etiam pro vindicanda, scilicet! justitia et majestate divina dimicantes, in miserrimum amicum ore extruserant asperi consolatores, hi ipsi criminis jam rei aguntur; ille vero, perditissimus licet visus, qui et a nimis temerario in disputando ardore se non semper continuerat, summo afficitur honore, pro delinquentibus intercessorem agens, ac vere triumphali pietatis et patientiae in sempiternum laurea condecoratus.

Pluribus, quae huc congeri possent, supersedentes, unum hoc, pace manium summi H. A. Schultensii (1), asserere jam non veremur, pro genuinis habendos esse hunc Epilogum, ut et Prologum, poëmatis partibus; quibus quippe, decore suo et elegantia non nimis ipsi disparibus, justus denuo ei accedat habitus, eximiaque perspiciatur totius Operis Jobéi concinnitas.

§ 9.

Quae cum ita sint, postremo loco hic operae pretium facturos nos arbitramur, si de eo etiam quaerere instituamus, ad quodnam *poëseos genus*

---

(1) Vid. quae post alios de hoc argumento disputavit in libello, cui tit.: *Het Boek Job uit het Hebr. vertaald*, cet. *Inleid.* bl. 18—26.

Jobeïdem ea, quam mox descripsimus, amplitudine sumtam, proxime referendam esse, res ac ratio suadeat. Haec autem disputatio cum in tractatu de poëtica libri indole prorsus intacta relinqui nequeat, ad Capitis hujus, generaliora de Carmine complectentis, finem non incommode locum sortiatur suum. Verum enim vero haud diu nos morabitur illa, multo licet studio et opera a doctissimis Interpretum agitata. De Poëmatis materia et consilio (Cap. I. § 1 et 3) disquirentes, jam nonnulla, quae illius loci erant, ad judicium in hac causa moderandum attulimus. Hic, ubi de forma agitur, qua sublimes suos divino Poëtae concipere placuit sensus, hanc addere non abs re sit, sententiam, quam intelligentioribus probatum iri speramus, non recte quidem cum ullo carminum genere conferri posse Jobeïdem, ita ut huic illive, elegiaco e. c., tragico, heroïco, ceteris, simillimam esse pronuncies. Scilicet, quod supra (hujus Cap. §° 2, 3) notatum, hic usu venit, non eo quidem sensu studiose meditatum opus nuncupandum esse hunc ingenii sublimioris foetum, quod certum et ad artis quandam normam compositum sibi elegerit auctor dicendorum modulum. Quid enim? Talisne te artificii, quo epos inter, drama, elegiam, odenve, justi finiuntur limites, vestigia jam apud antiquum Orientis vatem deprehensurum cum ratione exspectare queas? Quod igitur res ipsa docet, id intenta Carminis contemplatione abunde comprobatur; quae scilicet hunc in lectoris, justo haud subtilioris mente relinquit sensum, ut incertus haereat, cuinam

potissimum poëmatum generi singulare hoc Musae Hebraeae monumentum accensurus sit.

Fac enim, videri cuipiam, *Heroici* carminis, in quo scilicet antiquioris rudimenta poëseos apud Graecos aliasque gentes fere posita fuisse docet historia, speciem prae se ferre Opus Jobéum, annon sola similitudinis quadam specie eum circumventum esse pronuncies? Ubi enim Homerica illa actio, totum epos percurrens; continua ubi narratio illa, brevioribus tantum arctissimeque cum actione ipsa conjunctis interrupta sermonibus? Nae, ille ad rerum, aliquatenus similium discrepantias dignoscendas coecutiat, qui vetustissimum Hebraeorum poëtam ab hac parte cum Homero, ejusque imitatoribus contendere in animum inducat. Quod quidem de eo etiam genere, in quo immortalem sibi Sophocleïa Musa famam comparavit, statuere non dubitamus. *Dramatis* enim, *tragicique* nominatim carminis appellatione cohonestandos esse dialogos hosce Jobéos, forte putet aliquis; contra quem vero haec mihi dubia liceat movere. Ad omnem, largior, humanum sensum ille frigeat necesse est, qui non τραγικώτατας esse, quas Volumen hoc exhibet, scenas, imo persentiscat pectore; id autem longe aliud quid est, quam de quo hic quaeritur; ad poëmatis quippe materiam spectat illud, ad formam non item. Huic enim quam multa desint ad justam Dramatis, Graecorum sensu, notionem absolvendam, profecto non criticorum regulis discamus opus est; sola quippe Jobeïdis cum unaquaque Aeschyli aliorumque tragoedia collatio hoc

clarissima in luce collocabit. Excipere quidem plurium sermones se invicem videmus; est unus quidem, quem circum omnia vertuntur, carminis Heros: quam autem longe aliter in hocce eorumque, quos memoravimus, dramaticae poëseos monumentis obtinere omnia animadvertimus! Philosophantur, quas Jobeïdos auctor in scenam producit, personae, dum Sophocleïa Euripidéaque in vivida versantur rerum cum maxime gestarum agendarumve tractatione, colloquia: implicatissimum Jobeïdis solvit epilogus, quem prologus strinxerat, quique sermocinantes exagitaverat, nodum; Graecorum contra tragoedia hasce partes ipsis agentibus in dramate personis assignat. Et sane si ulterius hanc deducere vellemus comparationem, plures se nobis offerrent, in constanti e. c. unitate, quam vocant, actionis, in mobili scenarum varietate, aliisque, quibus student Tragici, rerum momentis, discrepantiae, quibus simul sumtis haec roboretur persuasio, haudquaquam nostri de Oriente Poëtae, qui plus mille annis forte Graecos aetate anteverterit, fuisse, dramaticum ejusmodi, qualia illorum sunt, opus componere. Nec vero etiam, quod, — posthabitis aliis quibuslibet poëseos generibus, veluti *elegiae*, ad quam unus et item alter Jobi sermo, in se spectatus, referri posse videatur, — ultimo hic loco attacturos nos exspectabunt harum rerum periti, *Didacticum* carmen, (*Leerdicht* Batavi appellant,) quale multi, recentiorum praecipue Poëtarum informarunt, e nostro sensu exhibuit Musa Jobéa. Si quidem ad docendum magis, quam de-

lectandum, se, edendo hoc carmine, composuisse auctorem, dicat aliquis, ambabus illud amplectar manibus; doctrinam vero quandam de Deo atque homine, illorum, quos diximus, Poëtarum more, tradendi institutum ipsius haesisse animo, id vero est, quod vehementer negandum reor. In quo non multos admodum refragantes habiturum me existimo, qui tum adumbratas hucusque libri particulas, tum vero sermonum mox lustrandorum indolem rite perpenderint. Quid enim, obsecro, ipsis cum didactico isto, quod dicitur, poëmatum genere commune? Quidni toto plerumque coelo ab hoc distat ardens, elatus, impetuosus, qui in Hebraeo opere regnat, sensus atque dictio poëtica? Nae *ποίησεως*, vis, inquam, creatricis nomine, jure suo inter omnes ille eminet vates, qui res Jobéas, audaci saepe nisu se in altum tollens, decantavit; a quo volatu, Pindari ceterorumque lyricorum concitatiori odae, si vel maxime comparatio instituenda est, potius assimilando, abhorret plerumque recentiorum illud carmen, quod lento magis gradu ad propositum finem procedens, leniterque suadendo quam percellendo intentius, doctrinae copiam plus fere quam ingenii et imaginationis fervorem in usum convertat suum.

His itaque sic percensendis me jam illud effecisse putaverim, non ulli, quocum aliquam cognationis speciem habere videatur Jobeïs, poëmatum generi illam ita vindicandam esse, ut diserto ac proprio ipsius titulo recte nuncupari queat. Quod ne quis in monumenti, quod tanquam in paucis *ποιητικώ-*

τατον celebravimus, dedecus cedere arbitretur, reputet, velim, entheum illum, quem in quavis fere hujus Carminis sententia emicare videas, animi esse ardorem, summae rerum et dictionis gravitati junctum, qui illud tam luculento ornat summi poëmatis praeconio, ut quacunque indutus forma semper pulcrum et praeclarum censeri debeat. Quem vero ipsius decorem inprimis tuos intuentis praestricturum esse oculos opinamur, quum totum ejus complexum mente teneas, tuumque pulcri et venusti sensum ad illud acuas. Hoc igitur, nisi omne nos fallit augurium, continget, si quando rhythmicarum libri partium virtutes debita lustraverimus diligentia; illas enim tantas esse pluries repetita nos docuit lectio, ut non tantum aliquot elegantiis, sed singularum quoque scenarum universitate absolutissimum cum argumento tum forma opus, qua demum cunque poëtici illud generis appellatione insignire libuerit, ob oculos ponant.

CAPUT III.

DE SERMONUM LIBRI JOBÉI RHYTHMICORUM COMPAGE HARMONICA, OMNINOQUE PRAESTABILI.

Age igitur gravissimam hanc Commentationis partem aggrediamur, quae, ex superius tradita instituti nostri ratione, in peculiari *Declamationum*, quas liber Jobi continet, *poëticarum* juxta aesthetices leges aestimatione, versabitur. Quae ut ordine procedat disputatio, hanc nobis pertractationis scribemus normam, ut *principio* universo sermonum tenori et decursui perlustrando operam demus; *deinde* vero in genium eorum coloremque poëticum inquiramus. *Illud* quidem, ad philosophorum, si vis, genus propius accedens, praesentis Capitis ambitum absolvet; *huic* autem disquisitioni ultimum destinavimus.

§ 1.

Quod ergo instituere hic loci nobis propositum est, egregiae dispositionis nexusque, quo hujus Carminis sermones inter se continentur, examen, hoc quidem ad rite aestimandam excellentiam ipsius

poëticam inprimis pertinere, nemo facile inficiabitur. Quid enim? Si singula domus, sumtuose adornatae ligna ac marmora, quaeque ipsi inest, magnificam supellectilem admirere, in universi vero aedificii structura justam desideres symmetriam, aptasque, quibus singula connectuntur, familiaeque inserviunt usui, dimensiones, nonne magna tibi voluptatis, ex hujus magnificentiae contemplatione obortae pars decedet? Jam pari se modo res haberet, si in magnifico carmine, quod posteritati tanquam consummatae granditatis spectaculum exhibuit auctor, omnes et singulae elegantiae casu coeco et sine probabili quodam consilio essent disjectae. Quidquid enim pulcri ac sublimis, in graphica, ut hoc utar, animi motuum rerumque naturalium pictura, adstupendum nobis praebeant graves illae orationes poëticae, si summum aliquem non agnosceres, cui cuncta haec inserviant, finem, neque in oculos incurreret, quod singula pervadens, ad memorabilem exitum per gradus ducat, filum, profecto clara quidem hic suspiceres poëseos lumina, perfecti autem, quam mente informaris, Poëmatis notioni minime satisfactum esse doleres. Hoc ipsum vero est, quod dudum plus justo neglexisse multi videntur, quos in producendis admirandisque singulis hujus Carminis gemmis fere inexhaustos, praeclaram universi compagem vix ac ne vix quidem attigisse comperimus. Scilicet periculosae plenum hoc opus aleae, paucique illi, qui haec spatia olim sibi emetienda sumserunt, quos inter summum nominasse suffecerit Albertum Schul-

TENSIUM, crebro ad scopulos, quos abstrusiores sententiarum series hic praetendunt interpreti, impegere, suisque palam fecerunt hallucinationibus, explicatu plerumque difficillima esse omnia illa, quibus Poëmatis vis et summa dos cernenda sit. Quae cum ita sint, rectum de pulcritudine ipsius aesthetica judicium fere conclamatum esse putares; et equidem, ingenue fateor, tanto oneri humeros subducere aequum judicassem, nisi nostro et ad finem vergente proxime elapso seculo, Viri optime de his literis meriti in abditis libri Jobéi sensibus eruendis strenue desudassent; quorum ope nova lux ipsi oborta, et fax praelata est, cujus ductu jam ad metam, quam nobis proposuimus, attingendam via reddatur paratior. Cujus non menti hic Ill. MICHAËLIS, nec non DATHII, SCHNURRERI, EICHHORNII, ROSENMÜLLERI, et ex nostratibus, SCHULTENSII nepotis, MUNTINGHII atque PARAVII, subit imago, quorum lucubrationes egregie in usus suos converterunt, novisque ingenii ac doctrinae augmentis ditarunt PALMIUS noster, et qui sub idem fere tempus interpretis Jobéi provinciam in se suscepit, Germanorum UMBREITUS? Tot ac tantis igitur, curarum, quas aestheticae aeque ac philologicae Carminis rationi consecraverint, nomine clarissimis Viris usi auspicibus, jam animose in ardua, sed amoena, ubi Orientis Musa suam sedem collocavit, loca pertendimus.

Ut itaque praeclaram, quam antiquus Jobéidis vates in concinnandis disponendisque singulis sui Operis partibus secutus est, rationem universam

mente complectamur, haec potissimum rerum momenta studiose nobis investiganda videntur: *primum* quidem, num in rhythmicis illis, quas ingenii vi efformavit, concertationibus, ad dialecticum quippe quoddam genus pertinentibus, rationum, quibus utrinque se petunt sermocinantes, grave pondus acutamque subtilitatem conspiciendam praebuerit. *Dein* videndum, an unicum, quod dicitur, actionis, quod in talibus expetimus, religiose servarit; item, qua via solerter et gradatim cuncta ad finem sibi propositum duxerit. *Denique*, quomodo in argumento uno et simplici gratae simul studuerit scenarum copiae atque varietati.

His autem rerum capitibus edisserendis antequam nos accingamus, brevis praemittenda videtur totius, quod nexuit auctor, sermonum fili adumbratio, qua lucidius appareat, quali ac quanta in his fingendis ordinandisque arte usus fuerit, eoque ipso in sequentibus exponendis nobis liceat esse brevioribus.

§ 2.

Personis igitur, primas in hac scena partes agentibus, quibuscum jam ante (Cap. II. § 2) aliquam contraximus familiaritatem, ter repetitae dantur loquendi vices. Exorsum nempe Jobum excipit Eliphazus cum suis, quos iterum ille singulos retundit. Hic primus quasi actus Capp. III. ad XIV usque continetur. Eliphazi redintegrato sermone,

altera instituitur collocutio, quae a Capp. XV ad XXI protenditur. Dum huic, tertio in arenam prodeunti, quod par erat regesserat Jobus, et Bildadus brevissima defunctus fuerat exclamatione, nec Zopharus amplius habebat, quod reponeret, gravi epiphonemate altercantium conflictus claudit carminis heros. Haec igitur ultima Capp. XXII—XXVI absolvuntur. Jam Jobum, contusis obtrectationum telis, quibus in ipsum incursitaverant male seduli sodales, eximia oratione de rebus suis declamasse fingit Poëta, Capp. XXVII—XXXI. His autem perorantem deinde sistit virum juniorem, Elihuum Capp. XXXII—XXXVII. Cujus sermonem, utut gravissimum, ipsius, qui postremum verba facit, Dei O. M. alloquium tantum exsuperat, quantum majestate manuum suarum operi supereminet Creator. Prostat oraculum illud, una cum brevi Jobi responso, Capp. XXXVIII—XLII: 6.

Ne vero quis putet, nos his omnibus, quae inde a Cap. III. ad XLII a diversissimis oratoribus prolata perhibentur, ad pulvisculum hic loci exquirendis operam esse daturos. Enimvero argumentationum, in quibus rerum agitatarum cardo vertitur, summam praevio hic conspectu perstringere, cum admiratori subtilis aeque ac sublimis Poëtae gratum erit, tum eo ducet, ut ipsius excellentia, quam deinceps explicabimus, poëtica recte capiatur, justumque ei statuatur pretium.

Itaque postquam Jobus, septimo ab amicorum adventu die, horrendum, quo deperibat, silentium non amplius ferens, diris devovisset natalem diem

(Cap. III.), amicorum princeps Eliphazus mox carpendae illius impatientiae se accingit, nemínique mortalium de aequa Dei dispensatione conqueri, Jobo vero ipsum illud adire Numen omnipotens par esse monet, quo, perpessis decenter castigationibus, felicitate iterum ab Eo ornetur (IV. V.) Quod miser ille aegre ferens, animum ad amici mala obduratum exprobrat Eliphazo, pristinaeque felicitatis recuperandae spem vanam esse declarat; unde, perstricta consolantium perfidia, in novos animum effundit conquestus (VI. VII.) Alter, Bildadus, cum eandem, quam Eliphazus, cecinisset cantilenam, et invidiosam praeterea de miserrimi liberis, tanquam juste punitis, suspicionem, nec non amaram tristis impiorum sortis descriptionem, recta in Jobum intentam, adjecisset (VIII.), hic id, quod (comm. 3) dixerat adversarius, Deum injustitiae accusari non posse, in rem suam convertens, ab altera parte, Illi jus competere asserit, ipsis piis gravissimas quasque, propter communem omnibus labem, plagas infligendi; cujus excelsi, nec humana mente pervestigandi arbitrii ipse horrendo sit exemplo; quare in flebilem ad vitae suae Auctorem, a quo sibi, sceleris puro, meliora exspectanda videbantur, expostulationem desinit (IX. X.). Jam propter ipsa haec tanquam impudentis rabulae verba urit ultimus amicorum, Zopharus; quo multa acriter de praepostera Jobi sapientia, humilique, ad quam ipsi redeundum sit, poenitentia, monente (XI.), ampla hic vicissim digressione triumvirorum arrogantiam et inhumanitatem castigaturus, ita men-

tem suam explicat, ex tota rerum natura, ipsorumque, quos frivole citaverant, Sapientum dictis constare, divinam mundi administrationem miri ejusmodi, quod mente assequi nequeas, arbitrii plenam esse: male sanos proinde Dei vindices illos proclamat, ad Ipsumque iterum se convertit, audacius crebro in iniquam Ejus agendi rationem erga se criminis nondum convictum, invectus; unde ad miserrime transactae ejusdemque irrevocabilis vitae lugubrem redit picturam (XII—XIV).

Sic primum sociorum, flagitii Jobum insimulantium, conamen hicce retuderat. *Alteram* incursionem iterum orditur Eliphazus. Ventosum, imo impium oratorem, cujus verba ipsius arguant nequitiam, Jobum appellare haud erubescit; cui porro, iniquitatis erga amicos temeritatisque in Deum incusato, ad antiquae sapientiae monumentum, quod irreparabilem pertinacis improbi perniciem teterrimis pinxerat coloribus, mentem applicare suadet (XV.). Quibus viri, qui amicus haberi gestiebat, injuriis minisque conterritus Jobus in acerbas erumpit de iniquo sodalium in se animo ad Deum querimonias. Quapropter multo magis, quam ante, tristitia affectus, innocentiam tamen strenue propugnat suam, quae, dum adhuc in vivis est, a Teste, in coelis omnia perspiciente, ut manifestetur, in votis habet ardentissimis. Reliqua omnis spes cum ipso in sepulcrum abibit, ubi jam media in putredine, tanquam inter cognatos, obambulare sibi videtur. Tantum aberat, ut fortunae pristinae restitutione, quam fatui pollicebantur sodales, unquam potiri

posset (XVI. XVII.) — Jam et suum Bildadus instaurat impetum, qui »callide, non candide tu loqueris", inquit, »et sapientum insuper parvi facis alloquia. Putasne tui causa mundi regimine abdicaturum se Deum?" Denique haud tecte ad aerumnosi conditionem amici alludens, commeritam improbi sortem atra denuo in tabella exhibet (XVIII). Ad quae ille responsurus, insanum notat sociorum in se furorem, ex gravi ipsius calamitate omnis generis suspiciones derivantium. Iterato deinde de Deo, sibi nimis infenso, et nunc quoque de amicis, consanguineis, subditisque omnibus, moribundum ludibrio habentibus, conquestus, tenerrima quidem sodales, ut misericordiam commonstrent, supplicatione adpellat; sed subito animum recipit; Deum exspectat tandem labefactatae suae famae vindicem surrecturum: tum stricto Goëlis illius gladio judiciali contremiscerent amici! (XIX.) Aegerrime hanc Jobi exsultationem se ferre non dissimulans Zopharus praesentissimam propterea ei auguratur ruinam, et in conclamato illo lemmate de impiorum exitio necopinato et inevitabili multus est, mediocrisque vim eloquentiae penitus exhaurire videtur (XX.). — Abhinc sedatior factus Jobus, attentum ad sermones suos audiendos animum, justasque ut sibi querelas, ob immensam, quam exantlaverat, miseriam, condonare velint, a sociis flagitat. Delineata igitur prosperrima nequissimorum hominum conditione, rem tamen saepe aliter evenire, ita ut debitas dent poenas, amicis concedit; sobolem vero etiam nonnunquam facinorum sequelas, quae paren-

tibus incumbere debuerant, experiri observat: unde, Deo nunc hac, nunc alia ratione, mortalibus mirabili, illorum res dispensante, quo hic felicitati, ille infortunio destinatus videatur, in morte tamen cuncti fiant aequales, splendide quamvis efferatur non raro improbus, — vanissimas arguit amicorum ratiocinationes (XXI.).

Tertium denique in scenam prodit Eliphazus, ultimam instauraturus concertationem poëticam. Quod amplius reponat, fere non habens, commenticiorum quorumvis sodalem incusat. Sic enim rationes init: cum fortunam prosperam a Deo consequendam unicum pietatis finem sibi proponant mortales, Jobum contra ob ipsum Numinis cultum poenas se luere praetendisse. Cujuscunque in homines flagitii, imo et in Deum injuriae, hunc semet reum praestitisse, antiquissimi aevi nebulonibus, Omnipotentem spernentibus, crimine ac poena aequiparandum. Si ad meliorem rediret frugem, tum demum malorum terminum, salutisque recuperationem ipsi exspectandam fore (XXII.). Ad quae Jobus: »vellem equidem," inquit, »coram abscondente se Deo, qui omnia mea cognita habet, temeratam defendere possem innocentiam. At, eheu! humana non tanti facit Ille desideria" (XXIII.). Jam altera orationis parte defungitur pessimo quodam in Arabum tribubus hominum genere delineando, qui infandis violentiae et impuritatis criminibus contaminati, vitam nihilominus degebant, omni poena immunem; quo luculentius appareat illud, quod ante assertum, accuratam actionum humanarum retributionem mini-

me constantem mundi moderandi normam sibi constituere Deum (XXIV.). Brevi tandem Bildadus oratiuncula, qua hominem coram summa Dei majestate purum haberi non posse arguit, Jobum, qui apud Ipsius tribunal causam suam agere cupiebat, a scena abscedens perstringit (XXV.); a quo vero recte irrisioni propinatur tenuis ille Eliphazi imitator, Numinisque, umbrarum regnum tremore sui percutientis, ac mira quaevis in efformanda naturae universitate operati, descriptionem audit adeo sublimem, ut simile quid e penu sua denuo proferre sibi sociisque deficiat animus.

Itaque silentium, quod hunc sermonem (XXVI.) est insecutum, misero, sed in Sapientum certamine victori, latius de rebus suis disserendo dat opportunitatem. Principio igitur, jurisjurandi religione innocentiam suam contestatus, declarat, haudquaquam se, malis licet oppressum, suae poenitere virtutis, nec tamen etiam ab amicorum se sententia toto coelo distare addit, cum et ipse improbos haud raro hac in vita facinorum poenas, exsultantibus laetitia piis, pendere lubens agnoscat, dummodo haec non ad se applicent sodales (XXVII.), neque ex talibus jam universam regiminis divini rationem sibi cognitam perspectamque esse concludant. Quae enim cunque intelligentia et arte humana vel ex imis terrae fodinis eruta sint, pretiosissimam tamen, neque thesauro ulli aequiparandam gemmam, *sapientiam* puta, in lucem protrahere nemo unus potuit, quippe nullibi inveniendam, cujus non nisi rumorem perceperit umbrarum regio, quam vero unus teneat omnia mente complectens Deus, qui

quidem in creanda rerum universitate hanc manifestarit, homini autem injunxerit: pietatis cultus tua esto sapientia! (XXVIII.). — Nova iterum oratione poëtica, tria membra majora continente, commoti animi sensa coram auditorum frequentia effudisse fingitur, res secundas et adversas aeque expertus Jobus. Pristinam igitur felicitatem, quam lauta scilicet et nobili fuerit conditione, quam omnium honoratus reverentia, medias inter aerumnas recordari gestit. Oppressis nempe fuerat refugium, terror tyrannis, cunctis autem acceptus et commodus; quapropter non interruptae incolumitatis spem animo conceperat (XXIX.). At enimvero jam alia omnia locum habebant; a pessimorum hominum, bestiis similium, faece contemtui habitus, Deique, a quo meliora exspectare posse sibi visus fuerat, nutu exquisitissimis afflictus cruciatibus, aequa mente tot ac tanta ferendo se fere imparem sentit (XXX.). Coronidis denique loco ad vindicandam coram Deo et hominibus causam suam redit, solenni sui imprecatione, si falsa praedicasset, immunem se ab omni violentiae et incontinentiae, nec non impietatis, labe obtestans (XXXI.); qua eximia intaminati animi morumque tabella, dum obmutescunt adversariorum voces, clauduntur omnia seniorum Sapientum colloquia.

Hoc autem usus silentio vir quidam juvenis, nomine *Elihuus*, honestum, quod ejus animo subit, Jobi causam adversus amicos, Dei autem contra Jobum tuendi, exsequi parat consilium; quod cum juvenili quodam fastu et verborum luxuria, gravi-

ter tamen et, quantum Poëtae ferebat institutum, satis rei propositae congruenter, perficit. Post longiorem igitur de semet ipso ac consilii ratione sui introductionem (XXXII.), tribus deinde mentem suam de re Jobéa sermonibus explicat, quorum primo quidem nonnulla hujus dicta carpit, tum de Deo disserit, hominibus se manifestante, summoque eos ex mortis discrimine liberante, Interpretis cujusdam et Internuncii ope, qui ipsis Illius reconciliet favorem; qua motos benignitate deceat contrito poenitentia animo, non suae innocentiae, sed soli divinae salutem suam acceptam referre gratiae (XXXIII.). — Nil reponente Jobo, alterum auspicatur sermonem in illum iniquiorem tumidus orator. »Indigna," inquit, »et obtrectatione in Deum plena, prolocutus est, suoque fovet animo Jobus. Summum vero Numen juste cuncta dispensare, ex rei ratione omnisque historiae testimonio liquet; quod autem impervia mortalibus sunt Ipsius judicia, id ex perfecta, qua gaudet, actionum humanarum, vel maxime occultarum, scientia derivandum est." Nonnullis praeterea aliis ad ostentandam Jobi dementiam et crimen, adjectis (XXXIV), pergit Dei adversus hunc vindicias struere; quo autem in conamine nec hic loci multo antecessoribus felicius versatur. Rursus miserum accusat, et jam quidem eo, quod se Deo justiorem praedicaverat, scilicet! quoniam sua sibi non profuit virtus. »Atqui vero," inquit, »nihil Deo derogatur, nec lucratur Ille, qualicunque tu ratione vitae cursum instituas; et quod ad irritam oppressorum multorum

vindictae divinae implorationem attinet, non sane illi eo, quo par est, animo sua tulerunt mala. Hoc autem cum non eo trahendum sit, ac si de illata injuria non cognosceret Deus, sequitur, ex improborum impunitate falso ad suam sententiam tuendam argumentatum esse Jobum" (XXXV). — Ultima tandem oratione sua, praemisso iterum de sinceritate, qua rem gravissimam pertractet, exordio, hanc ipsam, mortalium mentibus nimis abstrusam, incassum subtili in disputando solertia luce perfundere conatur. Dei celebrat majestatem, aequitate et justitia inprimis conspicuam, secundum quam calamitates, quae pium affligant, castigationum loco, ad excitandam de tectis criminibus poenitentiam, sint habendae. Quibus si advertat animum, denuo ad felicitatis culmen extollitur; sin minus, benignum Dei consilium, in egregium sui ipsius damnum, irritum reddit. Quod bene tenens Jobus, humili se mente excelso Numini submittere discat. Splendidum granditatis illius divinae specimen, subito exorientem nimirum fulminum ac tonitruum tempestatem, postquam depinxerat Elihuus, aliorum adhaec naturae phaenomenων censum init poëticum, quae cum mente non capiat, neque imitari valeat Jobus, vanitatis eum arguit, qui cum Deo, cujus majestas operum suorum splendorem infinitum quantum antecellat, in jus descendere non erubuerit; melius consultum fore monens, si in supremo moderamine, quod non perspectum habet homo, cujusque rationes non reddit Deus, reverenter acquiescat (XXXVI. XXXVII.).

Postremo tandem in scenam producitur, non quidem certaminis arbiter, sed oratores temeritatis et tenuitatis convicturus, altumque iis silentium impositurus, *Deus*. In stupendum igitur rerum a se creatarum theatrum sermone bipartito introducit Jobum. Primum quidem de inanimatis ipsum interrogat, quo ad inscitiam de universi regimine fatendam adigatur ille. Lustrantur itaque terrae marisque ortus et gubernatio; Aurora, totiusque adeo mundi limites; quomodo se habeant lux ac tenebrae, nives, grandines, pluviae, cetera; quid tenendum sit de coeli astris, justeque et concinne ordinatis rerum omnium vicissitudinibus. — Procedens ad terrae animantia Numen leonis, struthiocameli, aliorumque, inter quos equi nominatim, magnificentiam vitamque animalem Jobo dat contemplandam (XXXVIII. XXXIX.). Quibus hic ad fiduciam in tali ac tanto rerum omnium Conditore collocandam serio permotus, tenuitatis suae conscientiam, animumque submissum luculentis Ipsi verbis significat. Quo autem mirificae gubernationis divinae meditatione ad renuncianda temere a se dicta magis permoveatur, iterum ex tempestate ipsum appellans, simulque reprehendens, provocat Numen, ut Dei indutus potentia, hac ad exterminandos quoscunque scelestos ac tyrannos utatur. Cujus sublimis ironiae scopo felicius feriendo inserviunt duarum bestiarum aquatilium descriptiones, hippopotami, nisi fallimur, et crocodili. *Hujus* autem cruenti monstri mirum decus ac splendorem cum reputaret Jobus, ad agnoscendam in ipsa re-

giminis divini profunda caligine majorem omni reprehensione prudentiam adigeretur, necesse erat. (XL. XLI.). Quod horum lineamentorum consilium etiam ex voto assecutus esse perhibetur Omnipotens, dum perculsus Dei granditate et sapientia Jobus sermonum omnium seriem profitenda plena sua convictione seriaque poenitentia, claudit (XLII: 2—6.).

§ 3.

Ex brevi igitur hacce sermonum poëticorum, quos Jobéis complectitur, adumbratione, egregiarum ejus virtutum vestigia jam quodammodo pellucebunt. Unum enim et simplex, ut hoc utar, in maxima rerum varietate ob oculos habuisse Poëtam, ad quod semper recurrat, argumentum, felicique eum successu illud ad finem sibi propositum deduxisse, neminem, sola ea, quae praecedente §° percensuimus, puncta rite considerantem, fugere potest. Sed de principe illa Carminis dote mox (§ 4) fusius agendi erit locus. Prius quippe in *disserendi vim et gravitatem*, qua personas suas uti jusserit Auctor, inquirere constitutum erat. Quemadmodum enim, quae ingenii vi producuntur, ex nativa et peculiari indole quaeque sua aestimanda sunt; sic carmen, quod longiore et continua allatorum utrinque a disputantibus in rem suam argumentorum serie constat, ex rationum pondere totiusque argumentationis subtilitate metiendum est. Ita nimirum illud, in quod Poëta mentis aciem inprimis intendisse videtur, in quo adeo regnaturum eum

probabili conjectura statuimus, qua par est, luce affundetur, justoque suo habebitur loco et pretio. Hoc ipsum vero annon merito pulcritudinis poëticae insigniremus titulo ac honore? Sanequam nimis arctos hujus sibi duxerit limites, qui sensuum quidem et elocutionis sublimitatem ea comprehendi putet, subtile vero et grave mentis acumen inde exclusum velit. Si enim recte cum Franco-Gallico poëta tenemus, *nihil pulcrum esse, nisi quod verum sit, verum solum esse amabile* (1), quidni et arte, quae rimandis veri penetralibus, milleque modis instruenda disputationis acie occupatur, summopere delectaremur? Quod autem a Poeta, non sterili quadam et a sensuum imperio remota philosophorum via, sed vivido ac liberiore, quem recte *poëticum* dicunt, modo, quo ratiocinandi severitas phantasiae lusibus temperetur, fieri debere, non est quod moneamus.

Jam vero nulli vatum, quos Oriens cultaque tulit prisca vel seriore aetate Occidens, ab hac parte secundum esse Jobeïdis auctorem, praedicare non dubitamus. Quam ut idoneis stabiliamus argumentis sententiam, percurrendus est cogitatione totus sermonum, quos delineavimus, ambitus, ut luculentiora inde delibemus, quae ad rem nostram faciant, specimina. Ex argumentationum igitur responsorumque acutiorum, quam coram intuemur, silva quosdam tanquam ramulos decerpemus, qui

(1) Rien n'est beau, que le vrai; le vrai seul est aimable. BOILEAU.

vegeto suo succo ac virore latius in illam exspatiandi desiderium acuant.

Alterius statim sermonis Jobéi παθήτικῳ illo exordio (C. VI.)

Utinam recte ponderaretur dolor meus,
Miseriamque una omnem in trutina quis attolleret! cet.,

quam graviter omnis uno quasi ictu evertitur sapientiae, ab Eliphazo profusae, vis et efficacia! En tibi capitale praeclari Oratoris vitium, quod humano commiserationis sensu expertem sese ostenderat, ex aequo castigatum. Nec minore ingenii fulget acie ejusdem herois Uzaei, ad Bildadi rationes responsionem parantis, exclamatio (C. IX.). Cujus quidem in hac ratiocinationum serie gravitas ex praestructo horum sermonum conspectu jam cuivis patebit. Quo autem clariore illa in luce collocetur, totiusque adeo disputationis inde enatae perspiciatur concinnitas, digna est, quam hic summatim adscribamus interpretis, inter nostrates de Jobeïde optime meriti (1) observatio. Venustam scilicet in illis (comm. 2, 3):

(1) Dici vix potest, quantum in exponenda abstrusa saepe argumentationum, quas hic Liber continet, serie omninoque in indicandis virtutibus ipsius poëticis, praestiterit Clar. v. D. Palm; ita quidem, ut insequentibus Commentatoribus exigua tantum in hoc genere spicilegia reliquisse videatur. Quare in eorum inprimis usum, quibus ad ipsius versionem et scholia non patet aditus, quales sunt nostratium sat multi, et exteri fere omnes, cessurum putamus, si hujus Viri docti annotationes, ubi non diversa nobis de

Profecto! novi rem ita esse;
Qui enim homo justus sit coram Deo?
Si lubeat Ipsi contendere cum eo,
Ne unum quidem Ipsi ex millibus respondebit,

captatam videas ambiguitatem. Monuerat Bildadus, neminem a Deo inique haberi posse. Jobus, »concedo", inquit, »optimus enim quisque, qua imbecillitati ac erroribus obnoxius, injuriam pati proprie dici non potest, Deumque ad jus vocare, ipsi, quamvis malorum mole obruto, minime competit." Haec autem justitiae divinae notio a sociorum sententia toto coelo distabat. A Deo, sic reputabant, quo justus dici haberique queat, luculentum piorum inter atque improborum fata discrimen constituendum est, ita ut ex ipsorum interitu vel prosperae fortunae instauratione ad cujusvis scelus probitatemve recta fiat conclusio. Quod omni opera hoc Capite et in sequentibus negatum it Jobus, suo ipsius, eorumque, quae communis rerum terrestrium cursus cuilibet quotidie ob oculos ponat, exemplo atque usu edoctus.

Simili in disputando solertia utitur (C. XXI.), si saltem, quod, ex modo memorati Palmii mente, § 2 delineavimus, illius sermonis argumentum calculo suo comprobare non dubitent harum rerum

---

rerum aut verborum explicatione haeret sententia, ad hanc qualemcunque scriptionem exornandam perficiendamque identidem adhibeamus. Ne autem crebrarum citationum mole lectorem fatigemus, cum hujus, tum ceterorum magni nominis Interpretum, ex quorum scriptis nonnulla profecimus, mentione in sequentibus ut plurimum supersedebimus.

periti (1). Quam nimirum summo cum ardore sodalium effatis opposuerat, de cumulatissima multorum impiorum prosperitate sententiam, jam prudenter temperat, hisque circumscribit limitibus (comm. 16 sqq.):

---

(1) Adhaec sciant, velim, lectores, ubicunque linguae genio et orationis seriei non incommodam reperisse nobis visi sumus novissimam libri Jobeï interpretationem Belgicam, nos hanc fere ducem secutos esse, posthabita nonnunquam alia, quae ancipites nos tenebat, sententia, quum vocabulorum Orientalium farragine, quae ad firmandam explicationem nostram huc colligenda fuisset, libellum huncce onerare minus decorum, melius vero consultum videatur, in posterum, si quidem nobis haec otia faciat Deus, Carminis exegesin, quae interpretationum, quas hic exhibuimus, stabiliat alias, alias corrigat, doctorum examini subjicere. Cujusmodi in opusculo inprimis quoque Cl. UMBREITI, imo et LANGII, habenda erit ratio. Illius commentariolum, nuper (anno 1832), quod laetamur, castigatius editum, in deliciis habemus; hujus autem versionem (*Das Buch Hiob neu übers. Ein Versuch von Dr.* G. LANGE. Halle 1831), ex aequo a GESENIO collaudatam, ad constituendos Jobeïdis sensus non sine aliquo fructu passim conferre solemus. Reliqui, qui post EICHHORNIUM, ROSENMÜLL., WETTIUM et AUGUSTUM, commentandi hujus libri provinciam in se suscepere, AUTENRIETHUS, MELSHEIMERUS, novissimeque BÖCKELIUS (*Das B. Hiob, übers. u. für. gebild. Leser kurz erläutert* u. s. w., Hamb. 1830), merito tanquam minorum gentium Dii a censoribus Germanicis notati, nihil fere nobis ad promovendam Carminis intelligentiam profecerunt. Ceterum, locus, quo mihi recentiorum in hoc genere principum Virorum, ROSENMÜLLERI, inquam, PALMII et UMBREITI, habeatur opera, atque qualiscunque adeo mea ipsius interpretandi ratio, cognosci potest ex tractatu, Ephemeridibus theoll. (*Godgel. Bijdragen* VII. 676 sqq. 1833.) inserto, ubi loca quaedam in imagini-

En non in manu habent bonum suum;
Absit a me improborum consilium!
Quoties impiorum lucerna exstinguitur,
Irruitque in eos exitium,
Cum (Deus) illis dolorum portiones in ira sua admetitur! cet.

Concesso igitur quadamtenus, quod urgebant amici, eximium in disputandi acie sibi parat triumphum. Sic enim summi pandit arbitrii, juxta quod nunc hoc, nunc alio modo agat Deus, rationem, illiusque uberiore luce perfundendi nanciscitur opportunitatem. Scilicet ita pergit:

Deus servat ejus (impii) filiis poenam.
Ipsi rependat; ipse experiri deberet.
Adspicere ipsius oculos suam perniciem,
Et (calicem) irae divinae illum bibere fas esset.
Quid enim curae ei est familiae post se (relinquendae),
Mensium suorum numero exacto? (comm. 19-21.)

Jam scite ex hisce in rem suam concludit: si Deus quandoque poenis afficit, saepe etiam impunitate gaudere sinit improbos, nonnunquam vero ipsorum liberis vindictam reservat; quis igitur supremo Do-

---

bus comparationibusque Jobéis difficiliora illustrare allaboravi. In censura autem (ibid. VIII. 157 sqq. 1834) scholiorum Rosenm. compendio impertita, id egi, ut, conferenda pericoparum quarundam explicatione, a Rosenm., Palmio, aliis, prolata, quaenam praeferenda sit, idoneis probarem argumentis: quo igitur lectorem φιλεβραῖον relegare, quam hujusce Commentationis filum philologica identidem annotatione interrumpere, satius duco.

mino sapientior, Ipsi administrationis suae normam praescribet?

Deumne scientiam docebit quisquam,

Hunc, qui in alte se extollentes sententiam dicit? (comm. 22.).

Ad plenius percipiendum subtile omnis hujus disputationis artificium, digna etiam sunt, quae conferantur, sequentia Capitis commata. Quidquid vero de hoc ambiguam cogitatorum Jobéorum seriem expediendi conatu putet quis, id certe nemo non videt, eum, si stare possit, nova Carmen decoris, ab ingenii acumine profecti, accessione ornaturum esse.

Aliquanto minus dubia sunt autem pulcri illius vestigia, quae sequens Cap. XXII. prodit, in argutiis scilicet istis, quibus Eliphazus nonnulla Jobi verba in alienum sensum contorsisse figuratur. Quum enim solum fortunae prosperae obtinendae consilium, potens ad Dei cultum stimulus, ipso auctore, censendus sit; jam summae dementiae ita notat, quae de crebra proborum miseria praedicaverat Jobus, ut ipsum adeo, tanquam qui suae virtutis ergo puniri se jactaverit, traducat:

Num Deo proficiat vir?

Nae, sibimet ipsi prodest homo prudens.

Num oblectamentum est Omnipotenti, te justum esse,

Lucrumve, quod integras praestiteris vias tuas?

Quid enim? Propter *pietatem* in te animadverteret?

In judicio tecum congrederetur?

(comm 2—4) (1). Supparis artificii speciem deprehendas in hisce ejusdem dicteriis:

Nonne Deus, (sic statuebas), sublimis est in coelis?
Adspice siderum verticem, quam excelsa sint!
Proin jactabas: quid novit Deus?
Num pone caliginem judicet? (comm. 12.).

Quibus iterum in exsculpendo alieno ex amici verbis sensu, callidum se ostendit. Scilicet, non semper hac in vita punire et remunerari Deum, tenuerat Jobus. Unde jam efficit ille: mundi regimen, ex hujus mente, Illi curae non esse. His autem acute pungens addatur exclamationis illius, in quam commotum animum effuderat Jobus (Cap. XXI: 16), imitatio Cap. XXII: 18, ubi de iis, cum tacita ad ipsum allusione, locutus, qui Deo dicebant: mitte nos! Quid enim iis faceret Altissimus? Quamquam Ipse domos eorum bonis impleverat, — sua misero verba ita reddit Eliphazus:

Nae procul absit a me impiorum consilium!

Sed ad Carminis heroëm, qui, ut causae bonitate, ita orationis pondere nervisque, oppugnantium coetui praestiterit consentaneum est, redeamus. Et quidem in Cap. XXVII figamus oculos,

---

(1) Videant sagaciores, annon postremi commatis versio graviorem, omninoque aptiorem fundat sensum, quam Dathii, Rosenmüll., Umbreiti, aliorum, interpretamenta. Ad evincendam eximiam ratiocinationum in hoc Poëmate subtilitatem, seligendis ejusmodi quoque locis studuimus, quorum acumen vulgo fugit interpretes, ut major exin debitae in Vatem ingeniosissimum redundet laudis commendatio.

quo ea, quae de Capitis XXI sensu probabiliter disputata sunt, aliquid accipiunt firmamenti. Scilicet in illo sermone Jobum triumviris omnia, quae de improborum supplicio declamaverant, plenius etiam dare jubet Poëta, prudenti nimirum hoc consilio, ut ne a veritatis tramite, disputandi aestu desciscere videatur ille, eoque ipso luculentiore etiam in certamine oratorio potiatur victoria.

Docebo vos, (inquit comm. 11, 12), facta Dei;
Quod decernit Omnipotens, non celabo.
En! vos omnes rem compertam habuistis;
Quid igitur tam vana effutivistis?

Ipsi, vult, proprio usu edocti ea, quae de Dei regimine in medium protulerat, vera profiteantur; quod quidem detractaverant ideo, quia vanis de amici virtute suspicionibus totos se dederant. Propterea sententiam istam: malos horrendo puniri modo, eo extenderant usque, ut omnes aerumnosos sceleratorum loco haberent. Quo autem rationum, quibus usi erant, vim funditus evertat, aptissimum hic attexitur ἐπεισόδιον, in quo Jobus decantatum illud de justitia, citius ocius hac in vita retribuente, thema ipse recantat. Enimvero, quam hujus sermonis initio sartam tectam praestiterat, longissimeque a quaestione praesenti separatam vult, vitae suae integritatem, sic sane multo, quam si nihil sociis concessisset, felicius vindicat. Postrema Capitis parte habes orationem illam poëticam, quae hac facie sumta, de quo itidem judicent peritiores, disputandi aciem, quam in tota Jobeïde admiramur, insigniter adaugeret.

Haec, (inquit, comm. 13 sqq.), sors est, homini nefario assignata divinitus,
Ac portio tyrannorum, quam ab Omnipotente sortiuntur!
Si multiplicantur ipsius liberi, ferro (sunt destinati),
Ejusque progenies non habet victum ad saturitatem, cet.

Huic autem digressioni junctam videas, ingenii aeque ae elegantiae poëticae nomine non minus notabilem, sapientiae per excellentiam sic dictae, Cap. XXVIII° tabellam, cujus maximam hic ad retundendos adversarios vim esse, nemo negaverit, qui conspectus, ante exhibiti, memor, eundem mecum sensum, idem consilium illi attribuere non detrectet.

Sed digito haec indicasse nobis, ex Elihuï quoque et ultimis Jobi effatis quaedam, huc pertinentia, delibaturis, sufficiat. Ille igitur, quamvis et ipse cum senioribus in rerum summa coecutiens, praeclaris tamen hinc inde sua dicta illuminat rationum momentis, ita quidem, ut disserendi subtilitate an sensuum sublimitate magis eniteant, dubius haereas. Exempli loco nobis sit Cap. XXXIV, ubi, improbata Jobi de regimine divino sententia, ita Numinis justitiam vindicare aggreditur, comm. 11:

Profecto facinus hominis ipsi rependit,
Et pro ratione vitae suae facit, ut ei eveniat.
Absit utique, ut inique agat Deus,
Et Omnipotens jus evertat!
Quis commisit Ei terram,

Quis, inquam, totum condidit mundum?
Fac, Ipsum ad huncce convertere animum suum;
ejusmodi nimirum Eum affici posse iracundia odioque, quale tu Deum erga te fovere suspicaris;
Hujus (mundi) vitam et spiritum mox ad se reciperet;
certo certius, vult dicere, cuncta perirent;
Exspirarent universa corpora,
Et in pulverem redirent homines (comm. 11-15).

In quibus extremis (comm. 13—15) probabilem hunc observo idearum nexum: ni justus esset Deus, ne consistere quidem, nedum felicitate gaudere posset mundus. Quis enim Ipsi hujus regimen obtulit? Nemo sane! Atque adeo gubernationis suae mortalium nemini rationes reddere obligatur Ille, qni ipse Conditor universi est. Si igitur insano abriperetur irarum affectu, necessario sequitur, ut corruerent omnia. Necdum hic pedem figit, sed in luminosa inductione amplificanda multus est Elihuus. Concinne scilicet illud commentum, Deum odisse justitiam, absurdi arguere pergit: »Sic enim pro arbitrio cuique se excandescentis irae impulsui dederet Deus; quo ipso, uti praemonitum, interiret mundus. Atqui non ita agit! Qui ergo iniquitatis labem Ei adspergere potes, qui solo justitiae ductus amore aequum se praestat, cum potentia non careat, qua effreno indulgere posset arbitrio" (comm. 17):

An qui odio habet jus, iram coerceret?
Tune igitur Justum, Praepotentem iniquitatis insimulabis?

Jam ἀπροσωπολήπτην, adeoque justissimum, quod probare volebat, esse Deum ostendit. Quisquis enim sit summus imperans, princepsve, qui indigne se gesserit, Ille humanae majestatis rationem non habet, scelestos, nefarios hos appellat, et juxta nomen commeritum tractat (comm. 18):

Qui regi dicit: tu nebulo!
Heus tu scelerate! primatibus, cet.

Acutissimi autem in deducendis rerum consectariis ingenii, quo Elihuus hicce ditatus est, insigne etiam ex seq. Capite laudare lubet exemplum (XXXV: 6—8, coll. Eliphazi effatis XXII: 2—4):

Si pecces, quid Illi officis?
Si multa sint tua delicta, quid Ei facis?
Si justus sis, quid das Illi?
Aut quid ex manu accipit tua?
Homini tui generis est improbitas tua,
Tibique, hominis filio, tua virtus!

»Quod si tollas, statuasque, boni et recti amorem non necessario felicitatem afferre, neque improbitatem semper dira quaevis insequi mala, omnia pietatis fulcra labefactabis: nam si nec Dei, quod per se patet, nec tuae salutis causa, virtuti opera danda est, quid restat, nisi ut ipsam vilipendas? Concludendum igitur: homini proficua sit pietas, ipsum noceat crimen, necesse est."

Denique in παρακλητικοῖς, quibus supremum Numen Jobum urget, sententiis, quis non summam se inventurum ἐνέργειαν, rationumque pondera, exspectet? Ab his autem perscrutandis hic mihi tempero, cum in disquisitione, §º seq. instituen-

da, commodior sermonibus illis locus futurus sit. Satius duxerim hic illud Jobi responsum, Cap. XLII: 2—6, apponere, quod tam notionum vi et concinnitate, quam sensuum praestantia insigne, dignum erat, quo omnes Carminis orationes absolverentur. Novi, inquit redargutus a Creatore suo Jobus,

Novi, Te omnia posse,
Nec irritum fore ullum decretorum tuorum.
Quis Ille, qui *obsignat* consilium, ut *cognosci nequeat?*

(בְּלִי דָעַת, proprie *sine scientia*, i. e. imperscrutabili mortalibus modo). Sic quod de Jobo dixerat Dominus, Cap. XXXVIII: 2, ille Huic veluti reddit, sed longe alio sensu, qui tanto magis in Dei honorem cedit, quanto Hujus effatum altius depresserat Jobum. Jam apprime in hanc explicationem quadrant sequentia:

Sane disserui de iis, quae non intelligebam,
De rebus mirabilibus, captu meo majoribus.
Jam audi, quaeso, tum ego loquar.
Interrogabo Te, Tu me doce!

In quibus submissus Deo se ipse mirifice carpit: »nunc igitur loquendi et interrogandi vices meae sunt. Age, his utar! Jam opificium rationes ab Opifice postulabit suo!" En vero prudentissime statim his oppositam perfusi poenitentiae sensu animi significationem, comm. 5, 6, qua quod jam post divinam institutionem de Ipso sciat, tantum a pristina sua distare profitetur scientia, quantum propri-

um inter adspectum, acceptamque ab aliis notitiam, interest:

Auditu aurium de Te acceperam,
Sed nunc hisce Te intueor oculis;
Propterea memet ipsum aversor,
Atque in pulvere et cinere poenitentiam ago.

Lucida sane his ita intellectis conciliatur evidentia, et enunciatorum prodit consecutio, tam recta et sana, ut carmen, quod in ventilanda ejusmodi generis, quale supra (Cap. I § 1) descripsimus, quaestione occupatur, decore admodum claudat. — Ceterum, de cunctis, quos exhibuimus, argumentationum conclusionumque, solerter nexarum, modis adhaec observandum, revera in iis illas etiam, quas in talibus expeti sub hujus §i initium diximus, enitere dotes: vividam puta phantasiae vim et poëticae omnis elegantiae apparatum, quo solemnis ratiociniorum gravitas jucunde temperatur; ita quidem, ut nusquam delassetur animus, nec major lectori ad ea rite capienda adhibenda sit mentis intentio, quam qua in unoquoque sublimis et abstrusioris argumenti carmine opus est.

§ 4.

Quod hactenus in singularibus quibusdam Jobeïdis partibus conspiciendum praebuimus poëtici acumen ingenii; id in universa etiam celebratissimi Carminis serie subtiliter ordinanda probatum dedisse Auctorem, jam ostendendum erit. Quae enim summa, uti §° 1 observatum, operis cujusvis poë-

tici virtus recte reputatur, ut in magna rerum copia et varietate, *unum* tamen ac simplex contineat *argumentum*, *unde omnia deriventur*, *quo cuncta referantur*, *quodque in eximium* quendam tandem *desinat finem*: hanc igitur perantiqui hujus monumenti conditorem rite animo tenuisse, egregieque toto Poëmatis complexu fuisse assecutum, jam curatius lustrando hocce videndum est. Ex qua quidem disquisitione, fallimur, an magnus redundabit, cum ad augendam illius existimationem, tum ad pascendum gratissimo pulcri sensu animum, fructus? Si enim, diligentius examinata universi operis compage, totum quoddam absolutumque deprehendamus rerum caput, quocum omnium omnino sermonum series apte jungatur, quodque mirifica arte varias per ambages, ad exitum propositum perducatur; quidni eminentissimam Poëtae gratulabimur ingenii dotem, Carminisque decus inprimis desiderabile? Id vero jam, indaganda interiore ejus oeconomia, nobis super satisque clarum ac perspicuum fore putamus.

En igitur, quam sagaciter, mox ab initio, dirissimis istis Jobi, Cap. III querelis, toti sapientum concertationi opportunitatem subministret Poëta; qua quidem ita Eliphazum uti jubet, ut Cap. IV, V, animo, quo est, ad carpendum, quam deflendum amicum proniore, et praejudicata opinione de indubia illius, qui male perit, impietate, imbutus, acerrimam statim de regiminis divini rationibus eliciat pugnam, quandoquidem ipsius sententiae non poterant non gravissimam Jobo, cui nulla, nisi in

morte, salus relicta videbatur, mentis aegritudinem creare. Hanc enim miserrimi animo firmiter infixam haesisse opinionem, ubique luculenter innuit Auctor, uti e. c. Cap. VII a comm. 6 usque ad finem. Quum igitur Bildado, eandem fere, quam Eliphazus, incudem pulsanti (Cap. VIII), sermone suo occurrat Jobus (Cap IX), singulari, quem §º praeced. exposuimus, prudentia, quae ad se gravandum allata erant, eludit, et longe aliam rebus inducit faciem. Scite vero sic ab Auctore, causae, quae agitur, summa, ex qua totius adeo Carminis nodus deinde suspendetur!, in ipso contentionis initio coram conspicienda datur. Nimirum, praefracte urgentibus amicis, si, malorum mole pressus, dira morte occumberet Jobus, aut confiteri ipsum oportere, se simulatam jactasse pietatem, aut divinam ei negandam esse justitiam; hic contra tenet, ejusmodi justitiae, quam Numini vindicare moliebantur, ideam Hujus majestati omnisque aevi historiae, quacum suus ipsius innocentiae sensus concinat, recta adversam esse. — Ex quibus jam illud simul elucescit, quamvis nonnunquam animi intemperantia in causa sit, ut non incassum verborum tela in ipsum dirigant socii, tandem tamen ex hoc certamine victorem abire debuisse Carminis heroëm. In ipso statim hoc Capite, fausto eum omine rei cardinem acu quasi tangere, quisque videt sagacior. Quam enim, ut hoc utar, ad consilium apposita sunt, quae comm. 5—7 exhibet potentiae divinae specimina, non minus impervestigabile mirumque naturae regimen commonstran-

tia, quam adversa proborum fortuna justae bonaeque sortis humanae dispensationi refragari videatur. Enimvero his lineis tremendum exercens imperium ibi adumbratur Omnipotens, qui

Necopinato transfert montes,
Iratus eos evertit.
Commovet terram e sede sua,
Contremiscentibus ejus columnis.
Imperat soli, ut non exoriatur,
Stellasque sigillo obsignat.

Quas ut, ad infringendam rigidam sociorum doctrinam, Cap. XII: 12—25 latius exposuerat notiones, jam ad supremum Carminis finem gradum promovet illustris Orator, Cap. XIII. Quod enim hic ad summum Judicem Deum appellat, id non eadem, qua Cap. IX° et X°, mente fit, ut nempe Eum incuset, sed ut contra sodalium calumnias sibi ab Ipso parentur vindiciae. Ceterum, crebris utrinque agitatis (Cap. XIV—XX) controversiis, quibus ab hac parte Jobi integritas, ab altera vero amicorum de calamitatis, qua oppressus erat, causis firmetur sententia; egregie itidem ad conciliandam illi victoriam, praeparandumque universae litis terminum, facere illud videtur, quod de Cap. XXIi et sequentium mente ac consilio §° superiore monuimus. Quo etiam conducit, quod tertia, quam orditur, oratione (Cap. XXII), iis, quae modo de arbitrio divino disseruerat Jobus, nihil sani amplius opponere posse figuratur Eliphazus, cum impingendis ipsi pro more fictis quibusque criminibus defungatur. Jam vero, ad retundenda hujus obtrec-

tatoris tela admoto, qui solus sibi restabat, clypeo, appellatione, inquam, supremi sui in coelo testis ac judicis Dei (Cap. XXIII); aptissime Jobus nova quaedam Cap. XXIV praetermissae ab Eo justitiae ultricis specimina excitat, quae proinde — sic rationes subducit — constans regiminis divini norma nullo pacto possit haberi. Quibus et hoc effectum videas, ut penitus adversariis ora obtundat. Nam quae adhuc obmovere gestit Bildadus, (Cap. XXV) nihili sunt, longissimeque Jobéa majestatis divinae ad humanam imbecillitatem collatae descriptione (Cap. XXVI) exsuperantur. Cumulum denique hujus triumpho addere, quae Cap. XXVII disserit heros Uzaeus, post ea, quae praeced. §o de sermone illo in medium prolata sunt, monere non opus est. De aptissimo autem in eundem finem Cap. XXVIIIo conf. § 2, pag. 83. Quam vero praeclare ad Poëtae scopum collineënt quoque ea, quae de pristina sua felicitate, eaque qua jam prematur, ignominia, Cap. XXIX et XXX eloquitur Jobus, is probe sentiet, qui, quantam iteratae afflicti probi contestationes ad commovendum animum humanum vim habeant, secum reputet; concinitque eximie in hanc mentem sequens Cap. XXXI, quo solennibus imprecationibus omnium ante dictorum veritatem, integritatemque asseverat suam, nec non Deum obsecrat, ut se a calumniatorum opprobriis ratione splendidissima vindicet.

Exquisitam deinde prodit artem introducta in hanc scenam Cap. XXXIIo Elihui, egregia multa eleganter disputantis, at tamen rem minime ad liquidum

perducentis, persona, quae quippe, arbitri cujusdam locum sustinere satagens, luculentissime vano solvendi gravis nodi conatu, ostendit, dignum hunc esse, cui Ipse numen suum interponat Deus O. M. Nova tamen quaedam subinde etiam promit ultimus hic Orator, quibus causam Jobéam ab alia iterum atque alia parte collustratam, grataque digressione ad probabilem exitum propius cernas adductam. Scilicet, quum et ipse, seniorum Sapientum exemplo, hujus illiusve criminis reum ageret Jobum, cujus hic divinitus poenas luat, jam hanc, quae sibi sedeat, urget sententiam, sensim aggravatam fuisse illam Dei castigationem, propterea quod non aequo eam tulisset animo, sed proterve, velut immeritae, obstitisset. Vide saltem, annon hoc dictorum, inprimis Cap. XXXIII, comm. 14 et quibusdam sequentibus, sit consilium. Quam porro (Cap. XXXV) sese frustra sursum deorsum vertit philosophus ille Buzita, ut inextricabile pandat aenigma; quam quidem animi haesitationem, identidem inter loquendum adauctam, nequicquam sublimibus ac sententiosis dictis dissimulare annititur: nae ipsa fortasse, quae tantopere Interpretes exercuit, multorum Cap. XXXVI effatorum ambiguitas, prudenti Poëtae consilio, hancce mentis inopiam anxietatemque mirifice signat, tanquam ab eo prolatorum, qui quam expediendam sibi sumserat rem non rite capiens, continue in eo est, ut solvat, quae ingenii sui vim superare doceat exitus. — Eximie vero per ipsas animosi hujus Oratoris excursiones Cap. XXXVII, ad magnificum finem, in quem

ut totum desineret Carmen, praeclare visum fuerat vati, via paratur. Tonitrua audit Elihuüs Numinis appropinquantis nuncia, ex quibus ut ad summi concludat Domini majestatem, quocum in jus descendere ausus erat, pie Jobo suadet, nihil tamen minus, quam tremendi ipsius Dei praesentiam, quemadmodum recte ex comm. 23*o* effici videtur, exspectans: qui igitur, inopinus cunctis apparens, summam, quam tibi fingere queas, vim oratione sua tanto Numine digna in legentis animum exserat, necesse est.

Apposite autem ille Ipse sub Carminis finem inducitur (Cap. XXXVIII—XL), alto sapientum coetum pudore suffundens ob inania multa et praepostera, quae in agitanda Jobi causa de suo effutiverant regimine. Aptissimum, sane quam, omnibus ante disputatis terminum constituit alloquium illud divinum. Quippe *et* eo facit, ut tanquam totum quoddam riteque membris suis absolutum poëma compareat; *et* vero etiam gravissimam illud climacem, quam dicunt rhetores, infert, qua Carmen, postquam in majorem sensim adscenderat ponderis dignitatisque gradum, ad summum tandem majestatis, humanos oculos praestringentis culmen evehitur. Scilicet, ut paucis utrumque adumbremus; silentio praetereuntur in his Dei sermonibus calamitatum, quibus affligebatur Jobus, rationes; insigniter autem hic ipso illo silentio ab amicorum obtrectationibus vindicatur, cum ne singuli quidem ipsum sceleris reum faciente Deo, jam luce clarius pateat, non *propterea* eum punitum castigatumve

fuisse, imo vero ad recondita potius moderaminis divini mysteria omnes referendas esse viri aerumnas. Ad quam gravissimam de imperscrutabili mortalibus gubernatione, qua bonis nonnunquam male accidat, doctrinam, quae Carminis summa supremusque scopus est, inculcandam, non minorem vim habent omnia ea, quae copiose et ornate in hisce Capp., ad convincendum temeritatis suae permovendumque Jobum, ut in coelesti acquiescat imperio, pronunciat Deus. Ecce enim, quam praeclare attingendo huic consilio, cumuloque exilius ab Elihuo disputatis imponendo inserviat grandis operum divinorum tabella, Cap. XXXVIII et XXXIX delineata, qua humanus fastus, mundi Arbitrum carpere non veritus, deprimatur, manifestanda vero benevola Ipsius circa res creatas cura, ad submissi et confidentis animi tranquillitatem adducatur male habitus Jobus. Adverte porro ulterius exhibitum naturae theatrum Cap. XL et XLI, ubi provocando eodem, ut Numinis veluti indutus potentia, quaecunque reperiat monstrosa, superba, effera, exstirpet, majorem etiam huic modestiam, vividae de intemperantius dictis poenitentiae junctam, instillare operam dat Deus O. M. — Ex quibus igitur omnibus inter se collatis nonne tibi operis poëtici quidam exoriri videatur complexus, aptissime suis partibus cohaerens, quique in maxima etiam rerum diversitate ac copia, argumentum princeps semper lucide ob oculos ponat, ita quidem, ut omnia pedetentim ad summum exsurgant et evidentiae et granditatis apicem, nec concinnius sane di-

gniusque, quam tali, qualem adstupuimus, supremi Numinis interventu claudi potuerit tota sermonum de mirabili Providentiae divinae dispensatione series.

§ 5.

Itaque praecipua hac virtute, qua veri nominis poëmata insignita esse recte statuitur, satis validis, ut videtur, argumentis Jobeïdi attributa; *postremo* illam etiam dotem, quae in unius ac simplicis *materiae amplificatione* grataque *rerum varietate* cernitur, expendamus, ut an recte quidem et qua ratione hanc quoque Carmini assignandam putemus, appareat. Est enimvero ea, de qua hic agendum nobis erit, proprietas, omnium, qui aliquid in his vident, judicio, in poëticae perfectionis censu non ultimo loco habenda. Scilicet quemadmodum epos aut drama, quod virtute modo descripta destitutum sit, quamvis laetissima abundet quarumvis elegantiarum ubertate, tamen vim illam, quae ex simplicitatis concinneque ordinati decursus animadversione redundat, in legentium animos habere nullo modo posse §^o praeced. notavimus; ita ab altera parte poëma, in quo absque jucundis quibusdam digressionibus, recta ad propositum tenditur, quemcunque sensuum imperio subjectum, (quis autem mortalium se non regi patitur illis?) apprime frigida sua jejunitate fatigaturum sit necesse est. Non sane monumenta sibi aere perenniora erexissent Homerus ille, Pindarus, Sophocles, et quotquot sunt, quos

in deliciis habemus, poëtae, nisi, recto ducti naturae sensu, effusis egregiis hisce mentis thesauris, sua quique carmina adornassent. Neque hic praestantissimis ingeniis disparem videri antiquum Orientis vatem, id vero est, quod jam paucis persequi cum instituti postulat ratio, tum captus illius admiratione animus flagitat.

Sunt quidem varii generis, nec ad distinctas facile classes referenda hujus Carminis loca, in quibus gravem quandam affectuum vicissitudinem scenarumque incredibiliter exornatarum et maximopere quidem a se invicem divergentium, deprehendere liceat copiam. Age igitur singulorum rursus Capitum ordinem sequentes, quorundam, quae hoc palam faciant, speciminum censum ineamus. Universe autem in antecessum hic secum reputare ne quis negligat, peto, jam hoc ipsum, quod continuata dialogorum serie poëticum suum opus compinxit Auctor, mirifice τὸ ποικίλον et πολύτροπον illud, de quo loquimur, adjuvare. In quo ne quem habeamus repugnantem, cui iterum atque iterum recantatae triumvirorum cantilenae animo obversantur; id teneatur velim, de industria, nec sine magno, uti deinceps (Cap. IV. § 5) tradetur, acumine has ita efficlas esse; tum vero in iis ipsis, aeque ac in reliquarum personarum orationibus, felicissimum exsplendescere poëtae ingenium, qui, intermixtis disputationis seriei variis quarumlibet rerum momentis, sic gratissimum semper novitatis colorem cunctis scivit inducere. — Quantam vero, ut ad id, quod dicere instituebam, revertar, per

se jam affert elegantiae commendationem continua illa Oratorum, toto coelo diversa tenentium, menteque ac animo quam maxime sibi dissimilium, successio, qua non potest non jucunde in alias identidem rerum imagines delabi lectoris animus. Quam apte profecto ad hoc consilium mox Cap. IV et V animosum Jobi impetum excipit sedata at frigida Eliphazi sapientia! Jam vero egregie immutatae ejusmodi παθῶν vices quavis hujus Carminis pagina prostant. Imo in unius etiam ejusdemque Oratoris sermonibus crebro permagnum hujus generis discrimen in animi commotionibus, inque alio aliis temporis articulis rerum adspectu, observare in promptu est. Sic jam in secunda personae principis declamatione (Cap. VI, VII) hinc inde alius, ferme dixerim, nobis sistitur Jobus, quam effrenus ille, nec sui amplius compos Capitis IIIi. Scilicet responsum sodali ferendum, nec non miseriae suae causarumque, unde profluat, consideratio aliquantulum gravem animi aestum composuere. Sed de his affectuum motibus sequenti Commentationis capite agendi erit locus. Ad nobilissimum ergo, quod pluries attigimus, Cap. IX nos convertamus. Quem ibi longiore periodo diduxerat potentiae divinae, obscurique, secundum quod omnia regantur, arbitrii conspectum, hunc subito, comm. 25, vivida tristis animi effusione Jobus ita alternat:

Dies mei cursore velociores fuere,
Aufugerunt, bonum non viderunt;
Transiere velut naves papyraceae,
Ut in escam involat aquila.

Missis, ut nimiam evitemus prolixitatem, et nonnulla, suis dein locis disputanda, hic non praeoccupemus, insignibus quibusdam scenae inversionibus, quas in sequentibus fluctuantes animorum affectus creberrime inferunt; unum ex clarioribus silentio praeterire nequeo exemplum, quod prostat Cap. XIX$_o$. Scilicet, an audaciorem illo tibi fingere possis transitum, quo ibi a tenerrima commiserationis imploratione comm. 21, 22; (a verborum etiam citatione reliqua hujus §i serie abstinendum videtur); ilico ad summum fiduciae, ab inculpatae vitae conscientia profectae, culmen se attollit heroicus Jobi animus, quum omnis quasi oblitus mali, quo Deum (comm. 7—12), ac ludibrii, quo mortales (comm. 13—20) ipsum excruciare conquestus erat, necopinato saltu jamjam sibi propitium Illum coram intuiturum sese pronunciat, rigidissimum injuriae a sodalibus illatae ultorem (comm. 23—29). In digressionum illustriorum numero, quibus laeta aequabili Carminis cursui conciliatur varietas, censenda quoque est ampla illa, quam Cap. XXIV$_o$ invenimus; egregie improborum quorundam hominum descriptio, qua totum Caput expletur, quaeque cum praecedentis XXIII$_i$ argumento collata, tam novo hoc imaginum longe diversarum theatro, ad recreandum legentis animum, quam ab firmandum, uti ante vidimus, id quod tenebat miser, magnam habet efficacitatem. Imo quo procederet amplius, eo venustae huic valde disparium successioni studiosius operam navasse videtur Poëta, satietati scilicet, ex late producta disputationum se-

rie probabiliter oriturae, sic occurrere satagens. Speciminis loco sit quae mox, Cap. XXV, sequitur, abrupta et inexspectata prorsus Bildadi exclamatio, qua remissior sermonis Jobëi, Cap. XXIV, stilus, quem ibi poscebat rerum indoles, excipitur. Quam enim illa, hac in sede collocata, expergefacit commovetque mentem! Jam in similibus quidem sublimioris argumenti rebus, Cap. XXVI occupatur excelsus Jobi animus; sed si viam, qua te in attonitam Dei numine mortuorum sedem transportat comm. 5, 6, graphiceque creatricem Omnipotentis vim et miranda quaevis pingit opera, comm. 7—14, cogites, non tantum infinite amplificatam videas Bildadi illius, debilioris quippe Oratoris, doxologiam, sed et longe alio colore habituque ab altero instructam. — Hisce autem tam gravibus lineamentis aptissime ad eundem, de quo agimus, finem, annecti sermonem Jobëum sequentibus duobus Capp. comprehensum, neminem, qui vel sola ea, quae supra (§ 3) de his retulimus, in memoriam sibi revocet, latere potest. Quid enim sibi elegantius fingat quis; quid ad totam mentis intentionem ad se trahendam efficacius, quam quae splendidae illi rerum naturalium tabellae, Cap. XXV, XXVI contentae, subjungitur contestationum series ejusmodi, qualem exhibet Cap. XXVII? Quibus de coelis repente nos in terram raptos sentimus, et a physica mundi ordinum contemplatione, in sensuum morumque rationes, in medias scilicet Jobi res relabimur. Has vero etiam nunc nova quadam facie et liberaliore, quam saepe antea, sen-

su a Viro pio edisseri, ita ut crebro recoctas dapes non sine exquisito recentisque saporis condimento, adversariorum coetui penitus confuso apponat, post dicta §^{is} 2 et 3, non est, quod hic pluribus exsequamur. Idem de altera hujus orationis parte, sive Cap. XXVIII, valet, quod venusto suo rerum metallicarum, sapientiaeque his comparatae, schemate, praeclara gaudet vi ad humanam mentem, percipiendis portentosis insolitisque inhiantem, insigniore quodam suavitatis sensu demulcendam. — Quid autem in indicando orationis, quae huic succedit, ad idem consilium usu multus essem? Scilicet non facile eo usque quis ad pulcri sensum hebescat, quin artem miretur poëticam, qua repentino, ut mox ante (Cap. XXVII coll. cum Cap. XXVI) transitu, a majestate operum divinorum, ultimo Cap. XXVIII adumbrata, ad beatissimae olim vitae Jobéae picturam proceditur Cap. XXIX°: cujus certe jucundi excursus ope a lugubri malorum, quibus hic opprimebatur, spectaculo egregie tantisper avocatur reficiendus hac via praeparandusque ad sequentia concoquenda animus. Quomodo enim XXX^{i} iterum Capitis argumentum ad percellendum fortiter pectus humanum ducat, non opus est dicere, cum instituta utrorumque Capitum comparatio cuivis, gravissimae oppositionis vi, abundantissimae honore et opibus vitae culmen, infimumque ab altera parte despectus ac miseriae gradum luculentissime conspiciendum det. Jam denique ultima etiam Jobi effata cum his conferantur. Quotus enim quisque est, cui hic non arrideat, quem non hoc inprimis loco

15

posita ad se trahat tabella Cap. XXXI, qua viri in paucis integerrimi mores diversis rursus iisque mirificis expinguntur coloribus?

Et sic quidem ad aestimandam personae, quinta in certamine poëtico loquendi vice fungentis, rationem deventum est. In hac autem scenae inducenda semet ipse superasse videtur Poëta. Scilicet in medio sapientum sermocinantium auditorumque coetu illa subito vocem attollit suam. En tibi rem improvisam, quae non potest non novitate placere sua. Et longissime quoque ab antecedentibus hic distat Orator sermonum argumento et tenore, totaque adeo mentem suam explicandi ratione. Exemplis hoc comprobare longum foret. Primo etiam obtutu jam insignem ejus declamationes a ceteris discrepantiam, et juvenilem quidem praeprimis in disputandò ubertatem, produnt, qua minus saepe docetur quam dicitur, longisque ambagibus ac splendidis verborum periodis, solvendi, quem hujus confidentia aétatis extricandum sibi sumserat, nodi impotentia celatur. Et in hoc quidem charactere, Elihuï orationibus indito, palmariam earum veneremur dotem, quod scilicet ipso illo tenuiore habitu suo, post gravia sermonum Jobéorum pondera, omninoque benevolo, quod prae se ferunt, terminandae litis conamine, gratam quandam menti relaxationem pariant. Quam fauste autem, ut uno hic defungamur exemplo, dignum hunc tanto poëta scopum attigit Noster, qui jam ipsa viri juvenis in ea, quae dicenda habebat, introductione (Cap. XXXII: 6—XXXIII: 7), ampla illa, loquaci,

φιλαυτίας plena, at veri tamen bonique studiosum testante ingenium, in virum nos incidisse, longe a Jobo, longe item a triumviris diversum, augurari suadet, novaque adeo rerum scena imaginibusque animum, sat diu solenni seniorum colloquio detentum, pastum iri significat. Quam spem non frustra sibi factam esse, aequissimus quisque proxime sequentium Capitum lector, nisi nos omnia fallunt, ultro agnoscet.

Quantum vero, ut ad hujus veniamus disputationis metam, extrema quoque conferant Poëmatis, inde a XXXVIII°, Capita, ad nitidum illud, quod ipsi inesse evicimus, varietatis decus adaugendum, nemini etiam non potest esse clarissimum. Ibi nempe, absolutis mortalium sermonibus, ipsum, mirabile visu! contemplamur Numen interveniens. Humanam vocem, jam ante declaratum est, quantopere exsuperet, quod hic auribus percipimus, eloquium. Et sane prorsus hucusque inaudita percellunt mentem, in vasto mundi adspectabilis theatro Ipsius circumductam Creatoris summique Moderatoris numine. Nisi et hic tempori ac chartae consulendum, dictorumque divinorum tenere indolem cuique ex supra disputatis in promptu esse ducerem, in explicanda admirabili illa, variisque distincta coloribus, tam inanimatarum, quam ceterarum rerum tabella lubens exspatiarer. Unde quidem notabile etiam discrimen, quod haec inter lineamenta, atque illa obtinet, quae passim sapientum duxerat chorus, in oculos incurreret. At manum de tabula! Una vero haec ne calamo retinea-

tur observatio, quod ponderosissima Dei effata haesitanti, ac parum saepe ad causam idoneo Elihuï alloquio de industria annexuit Poëtae sagacitas, quo scilicet majorem, hac oppositione, vim in animos haberent. Quid? quod ipsam sophi hujus Buzitae personam ideo inter gravem seniorum coetum, augustumque Dei numen, intermediam collocatam fuisse, cum praeclaris quibusdam interpretibus reor, ut anhelans alto, quo illi nos abripuerant, volatu pectus paulum respiraret, antequam iterato multumque adeo audaciore nisu Hunc comitemur, ad salutanda ardua operum imperiique divini limina.

§ 6.

Et sic quidem quod de vetusto Carmine Hebraeo hoc Capite edisserendum sumseram, praeclara, non diffiteor, magnorum in hoc genere virorum ope adjutus, pro viribus exsequi conatus sum. Enimvero, si non invita prorsus Minerva praestantissimum pertractare mihi licuit argumentum, jam satis probabilem in Jobeïde perfectionis poëticae imaginem menti, pulcritudinis sensu imbutae obversaturam esse putaverim; siquidem id omne, quod in poësi, inprimis ejusmodi, qualis Jobéa est, summum merito atque excellentissimum judicatur, nostro vindicasse mihi videor Vati. Scilicet, ut pertractata paucis repetam, summatim exhibito, §° 2, sermonum rhythmicorum argumento, acuminis, quo in disputationibus hisce poëticis valuit Auctor,

luculentiora quaedam §° 3 dedi specimina; tum vero singularem ejus §° 4 collaudavi prudentiam, qua factum, ut ad materiam unam et simplicem apte cuncta referantur, quo in praeclarum gradatim desinant universi Poëmatis finem: denique, in ipsa hac gravissima omnium in unum conspiratione atque harmonia laetam simul scenarum varietatem vicesque §o 5 indicare annisus sum. — Quid plura? Si non aliis, nisi quae hactenus commemoratae sunt, dotibus ditata esset Musa Jobéa, meritissimo jam haud infimum ipsi in sacri Helicontis jugis assignares locum, cum eorum, quae in hoc poëseos genere maxima censenda sunt, sine quibus certe omnes aliae sordent elegantiae ac lepores, illustrem admirandam tibi dederit consociationem. Quodsi vero ad illa praeterea accedere animadvertas ingeniosum eorum, quae sub hujus Capitis initium, altero attingebamus loco, usum; si gravia, si amoena, per singula eunti certatim tibi obviam fiant, in pingendis Oratorum affectibus, in rebus juxta propietatem quasque suam, concise, ornate, sublimiter eloquendis, et quae similia sunt optimi cujusque poëmatis lumina et decora, annon propterea Auctori cumulatissimae palmam perfectionis deferendam esse arbitreris? Atqui rem ita revera se habere, tales ac tantas in Jobeïde raro ubique nitore effulgere elegantias; hoc igitur ex instituti ratione jam fusius extremo Commentationis Capite, clarissimo, quo nobis liceat, in lumine collocare aggrediamur.

CAPUT IV.

DE SINGULARUM, QUIBUS POËMA CONSTAT, ORATIONUM GENIO DOTIBUSQUE PERQUAM EXIMIIS.

§ 1.

Itaque in quarta majore disputationis nostrae parte venustatem, qua singula in hoc Carmine splendent, poëticam, (quas Franci *des beautés de détail* appellant), lustraturis, plura se nobis offerunt, perspicuitatis et vero aestheticae subtilitatis ergo, sub variis rerum capitibus digerenda, quibus satis probabiliter explicatis, generaliorem illam, quam hoc libello informare constitueramus, pulcritudinis Jobeïdi propriae notionem ex aequo nos absolvisse speramus. Hae autem sunt fere dotes palmariae, quas cum illustrissimis omnium aetatum et gentium monumentis poëticis vatem nostrum communes vel et sibi privas vindicare statuimus: principio quidem, ardens *imaginandi vis* cum summa *ingenii foecunditate* juncta; tum grandium varii generis **παθῶν** in sermonibus copia; dein nativa *personarum* hos conserentium *pictura;* singularis porro *dic-*

tionis poëticae gravitas; item aptus *membrorum* in Carmine *parallelismus;* denique ipsarum *imperfectionum* quarundam praeclara *certo adspectu* virtus et *gratia.*

Has autem singulas priusquam binis hujus Capitis Sectionibus pervestigemus Jobeïdis pulcritudines, de *universo* ipsius *charactere*, qui dicitur, *poëtico* in antecessum quaedam praemonuisse juvabit, quo munitior paretur ad persentiscendum justeque aestimandum quodcunque in illa insigne et praeclarum sit, aditus, et nonnulla simul notatu digna rerum momenta, quae ad sequentes §§os minus commode referentur, non prorsus intacta relinquantur.

§ 2.

Jam vero ad illam quaestionem, quam hoc loco agitandam esse diximus, unum et alterum conferri potest eorum, quae Cap. I §o 1 de Poëmatis indole in genere disputata fuerunt. Scilicet, de minus alacri in illo omnium motu ac impetu, quam qui e. g. in epico Graecorum carmine obtinet, causisque, quibus hoc attribuendum sit; de multis porro egregiis Jobeïdis dotibus, quibus defectus ille, ex tota ipsius ratione sponte profluens, abunde compensatur, quaedam ibi praeoccupata sunt, quae hic meminisse haud poenitebit. Addendae sunt autem iis in praesenti sequentes observationes:

Primum quippe ad ea, quae quem, inconsiderate in perantiquos hosce rhythmos Hebraeos incidentem, minus grato, fatendum enim, forsan affi-

ciant sensu, imo bene multos saepe ab iis sedulo scrutandis deterruerint, referenda est etiam nescio quae durities, grati saltem ac canori illius, quod in Homerica inprimis poësi dominatur, absentia, parciorve, ut rectius dicam, ejus usus. Non opus erit, ut istiusmodi Carminis hujus naevos, siquidem eo illos nomine compellare lubeat, per singula eundo, tanquam digito indicemus, cum cuique, paginas Jobéas volventi se sua sponte offerant; in minus suavi v. g. hujus illiusve orationis habitu, in asperiore item et incultiore quadam singularum passim enunciationum facie: neque etiam ob talium locorum invidiam, a labe, inde pulcerrimo Carmini nonnunquam adspersa, illud liberare necesse ducimus, freti quippe, hoc nobis daturum esse aequiorem quemcunque judicem, ista de laude, praestantissimo huic monumento debita, eo minus detrahere, quo illustriores praefulgentis luminis radii illas longe dispellant tenebras, quoque clarius deinceps patebit, ejusmodi imperfectiones hinc inde de industria Carmini allatas, et ad ipsius lumina ac dotes quodammodo referendas esse. — Quid vero etiam obstaret, quominus incomtiorem hanc, quae nostris hominibus videtur, cogitandi loquendique formam inter privos Jobeïdis characteres censendam esse ingenue profiteremur, cum unicuique poëmati nationis ac terrae, ex qua suam traxit originem, notas alte impressas esse, et rei ratio et vero ipse doceat usus. Ut enim Maeonio vati festivam hilaremque priscae Graeciae elegantiam, nobili autem Fingali filio, horrentium glacie vastaque solitudine

tractuum incolae, morosam quandam tristitiam propriam esse, animadvertimus, ita Jobéo carmini, praerupta inter saxa, inque salebrosis et candentibus solis aestu desertis condito, patrii soli, gentisque ingenio vehementioris, non possunt non inhaerere vestigia.

Haec igitur bene reputet quisquis ad lustrandas poëticas hujus dotes appellit animum, ut ne ipsi sit offensioni nativa illa, politiori poësi hodiernae minus concinens Musae Orientalis vox; et quemadmodum ἐνθέῳ poëtarum Arabum, qui ante et post Muhammedem floruere, coetui raucas fauces austeritatemque condonamus, sic in vatem, multo etiam illis graviorem atque elegantiorem, non justo simus iniquiores. Quod eo quoque longius a nobis absit, quo majorem ceteroquin in hoc poëtici characteris excellentiam suspicimus.

Altero scilicet loco, talis ac tanta per universam Jobeïda vis regnat, cuncta movens, et in tam altum plerumque granditatis apicem sese effert Poëta, ut hoc nomine facile quascunque invenisse nobis videamur humanae imbecillitatis umbras ipsi boni consulamus. Uti enim in sole labes, ita istae ad poëticae, quae ex ejus opere refulget, majestatis jubar longissime disparent; quid? quod ipse ille, quem attigimus, duriusculus passim Carminis sonitus ex elato et concitatiori vatis ingenio, quod ab omni mollitie remotissimum erat, pro magna parte derivandus est. Hanc autem, quam ipsius poëmati propriam esse pronunciamus, vim et granditatem verbo hic innuisse suffecerit, cum neminem fuge-

re, neminem non in illustris auctoris possit admirationem rapere. — Ita et alius Carminis character, qui in sequentibus saepe validissime animum, in exquirendis ejus dotibus occupatum, afficiet, in praesenti tantum verbulo indicandus est, notionum, puta, sensuumque vere poëticorum plane incredibilem copiam, quae jucunda pariter ac gravi omnia induit facie. — Est denique tenendum illustre quoddam, quod itidem hic praeterire nequeo, alibi vero latius adumbrandum est, Jobeïdis κριτήριον, augusta scilicet et incomparabilis quaedam solennitas, masculaque in omnibus dignitas. — Jam si hac virtutis poëticae excellentia, *vi* nempe, *copia* et *dignitate* cohonestatum videamus vatem Hebraeum, nonne summis eum laudibus extollemus, tanquam pulcritudinis, quae in quocunque Carminum genere merito maxima habetur, praestantissimo charactere notatum? Neque vero jam recensuimus omnia. Prae multis quidem aliis, quas omittimus, proprietatibus, ultimo tamen loco mirificum illud non possum non memorare artificium, quo justum Poëta tenere scivit in omnibus medium, duplicemque illum feliciter evitavit scopulum, ad quem utrinque multi passim impegere et Européi hodierni et veteris Arabiae poëtae, frigidam puta jejunitatem, et ab altera parte immanem inflatae buccae jactantiam. Cujus quoque egregie ut plurimum servati modi ac temperamenti, cum indicia ubivis prostant, tum ea enarrare nimis nos detineret. Quare obiter praestructis hisce de charactere poëtico observationibus, jam ad peculiarem insignium,

quas hujus Cap. §. 1 exhibuimus, elegantiarum contemplationem procedamus.

SECTIO I.

DE IMAGINATIONIS ET INGENII IN POËTICIS CARMINIS SERMONIBUS VI, AFFECTUUMQUE ET PERSONARUM LINEAMENTIS.

§ 3.

Hic igitur primum se nobis offert ardens audaxque quaedam *imaginandi vis*, cum subtilis et foecundi *ubertate ingenii* juncta. Quas cum jam ante, de universa Jobeïdis oeconomia agens, in genere celebraverim dotes, nunc quidem, quomodo in singulis eniteant Carminis partibus, pressius explicandum venit. Est autem hoc, quod dico, in maximis utique reponendum poëmatum quorumcunque virtutibus. Fac enim, probatissimam quidem in iis esse omnium dispositionem, justeque diductam, qualem in Jobéo carmine admirati sumus, totius dramatis seriem, abesse vero a singulis partibus ingenii illud ac phantasiae lumen, quo cuncta vivunt et vigent, nonne jejunum ac exile recte ejusmodi nuncupares opus, pulcrum corpus, at mente animoque destitutum? Finge vero tibi illud, variis identidem radians ignis poëtici scintillis,

vividum, aestuosum, similitudinibus ac comparationibus frequenter illuminatum, habes profecto opus, quo degustando mentem ineffabili continue pulcritudinis sensu demulceas. Haec enimvero dici vix potest, quanta Jobeïdem gratia exornent, non ulli, quantum equidem scio, alii poëmati secunda. Cum autem exemplis eorum scateat hoc Musae Hebraeae monumentum, potiora tantum nonnulla ex iis seligere nostrum fert institutum. Quam igitur vivacem jam in ipso introitu, (Cap. III: 14—16), deprehendas ingenii vim, in positis juxta se invicem terrae Magnatibus et exili abortu, utrisque tumulo sepulcrali conditis! Recumberem, inquit Jobus,

Cum regibus terraeque arbitris,
Qui superba sibi exstruxerunt palatia;
Aut cum principibus, quibus aurum erat,
Qui suas argento refersere domos;
Aut tanquam latens abortus, nullus essem,
Uti parvuli, qui lucem non viderunt!

Neque minore profecto vi animum percellit iterata illa mortis invocatio, Cap. VI: 8—13:

Utinam veniret, quod opto,
Spemque meam impleret Deus, cet.;

qua fortissima desperabundi animi significatione aptissime illa in serie praeposteram amici consolationem funditus evertit Carminis heros, cui plura mox ore excidunt dicta, praeclarum ingenii vigorem probantia. Ut enim celebratissimam hic sodalium cum torrente hiemali comparationem (c. 15-20) taceam, quanta in istos gravitate, c. 21, quo imaginem ad res suas applicatum it, intonat illud לא:

Sic vos jam mihi estis *nihil!*
Qui visa calamitate reformidatis.

Scite dein Poëta c. 23 alludere videtur ad hominum pessimorum in miserrimum Jobum nequitiam, de qua legimus Cap. XXX°, qui scilicet ipsa illa conclamata, qua erat conditione, ad humiliandum vexandumque probum abutebantur. Haud dissimilem ejusmodi allusionis speciem animadvertas c. 28, si quidem ibi, quod probabiliter conjecit Palmius, amicos tibi fingas, amoto vultu fastiditi Jobi adspectum fugientes, qui proin hanc effundit supplicationem:

Agite nunc, ora in me vestra convertite,
Et patebit vobis, num falsus sim.

Par redit artificium, Cap. XXI: 5. Egregia autem phantasiae opera his miseri aegritudinem lineamentis expingit Poëta, Cap. VII: 4, 5, 14:

Quum decubui, dico: quando resurgam?
Quando satis longe extensa erit nox?
Et satior jactationibus ad auroram usque.
Induta est caro mea vermibus et pulveris ramento,
Cutis mea scissa et ulceribus horrida.
Terres me somniis,
Et conturbas me visionibus.

Quibus gravissimum leprae genus, elephantiasis dictum, quo decumbebat Jobus, graphice ob oculos ponitur. Ardentissimo tales aegroti auroram praestolantur desiderio; huc illuc frustra se jactantes, insomniis fatigantur (c. 4), et quum exoptatus tandem advenit Morpheus, hic angentium somniorum phantasmatibus; ipsis etiam terribilior evadit insom-

niis (c. 14). Cujus vix vitalis vitae descriptio c. 5 ex vivo expressa, eoque ipso elegantissima absolvitur corporis excruciati pictura. En tibi crudam miseri carnem vermibus scatentem, terrae sordibus inquinatam, cutem vero tetris undequaque ulceribus fissam! Quanta quidem imaginandi facultate polluisse censendus is est, cujus menti tales rerum effigies continue — nam abundat iis Poëma — sponte quasi subirent! Ulterius vero hic eas non persequemur, quum ad descriptiones Jobeïdis sublimiores ex genere horrendo, quae alibi forte aliquando a nobis explicabuntur, pertineant. Ad hilariora cum maxime transeamus. In contemplandis igitur profuse ubique sparsis ingenii poëtici radiis sermonum ductum porro secutus, in Cap. IX: 16 delabor; ubi quam incredibile et absurdum ducat, factorum suorum rationes redditurum esse Deum, novo gravique hoc Jobus innuit modo:

Si Eum in jus vocarem, et mihi responsum ferret,
Non crederem equidem, Eum meae voci aurem praebuisse. —

Ingeniose itidem, juxta probabilem nonnullorum sententiam, ad Jobi morbum, qui immani cum horrore ipso sese in vultu prodiderit, alluditur a Zopharo, Cap. XI: 15:

Ita fiet, ut absque macula faciem attollas,
jam spurcam et contaminatam!
Et nitidus sis neque timeas. —

Alacri autem imaginationis impetu Cap. XIV° a miseranda universi generis humani conditione, c. 1 et 2 delineata, ad res suas transilit Jobus c. 3;

cujusmodi plura §° sequente exempla, ad eum praecipue locum pertinentia, nobis occurrent. Aequum ostendit acumen tenuius sonans illud, sed majus quid volens, Eliphazi, Cap. XV: 2, 3, dictum:

Estne sapientis, *ventosa* respondere scientia,
Euroque pectus implere?
Disceptare oratione non profutura,
Et verbis inutilibus?

Hac enim דַּעַת־רוּחַ, vulgari usu *futilem, nihili scientiam* notante, ex adversarii mente *impetuosa et effera quaedam* significatur *sapientia*, in qua omnes justi et aequi limites spernens sibi placeat Jobus. Similiter *orationi non proficuae* cet., c. 3, sensum subdit verborum nefariorum, impietate sua praeprimis nocentium. De isthac autem loquendi formula, λιτότης audit apud artis magistros, similibusque, quae Carmen ornant, figuris, conferantur infra §° 6 disputanda. Age igitur, ad alia iterum earum, de quibus hic agimus, elegantiarum specimina procedamus. In ipso hoc Capite mox in praeclarum incidimus exemplum, quam vere loquentium conditionem atque ingenium sibi fingere sciverit auctor. Scilicet postquam immania quaevis in miserrimum socium protruserat Eliphazus, irae aestum, hinc in illius animo subortum, et extus sese prodentem, ita graviter ille significat Themanita c. 12:

Quo te abripit tuus affectus?
Et quid vibrant oculi tui?

Hic egregiam quoque pericopam, Cap. XVI: 7-16, excitarem, in qua amicorum perfidiam, ut malorum suorum omnium atrocissimum, apposite sibi repraesentat Jobus, nisi et affectus, qui in illo loco regnat, et vero imaginum, quibus splendet, habita ratione, aliorsum referenda esset. Perspicacis porro, eorumque, quae res ac ratio flagitabat, in ipso, cui ducendum se praebuit, fervore poëtico, semper memoris ingenii complura Noster prodidit documenta. En tibi ex pluribus unum, Cap. XIX: 15—17, ubi tantum abest, ut propter liberorum Jobi mentionem c. 17, errorem ex praecipitantia ortum Auctori attribuamus (1), ut et hanc difficultatem facile tollendam arbitremur et in ipso hoc loco oppositae vestigium virtutis deprehendere nobis videamur. Scilicet in illis:

Inquilini domus meae et ancillae pro alieno me habent,
Peregrinus iis videor.
Servum meum voco nec respondet;
Ore meo supplicandum est ipsi,

rite Poëtae animo obversatum fuisse animadvertimus, in ministrorum Jobéorum clade famulos ac ancillas, servitio domestico destinatas, non una periisse; sequentia autem apte hoc sensu sumi posse videntur:

---

(1) Uti Eichhorn. in Vers. hujus libri Germanica ad h. l., qui tamen simul ambigit, an potius Prologus non pro genuino sit habendus.

Halitum meum abhorret mea uxor,
Et fastidio sum consanguineis meis (1).

Novum acuti et prompti ingenii monumentum sibi exegit Poëta Cap. XXI: 29. Post exhibitam enim arbitrii divini in dispensanda hominum sorte tabellam, sic amicos alloquitur Jobus:

En novi cogitationes vestras,
Et objectiones, quas contumeliose mihi paratis.
Dicetis enim: ubi est domus istius potentis,
Ubi impiis habitata tabernacula?

Ad quae mox argute reponit ipse:

Annon viatores interrogastis,
Eorumque indicia non animadvertistis?

Quod nimirum, (uti est commatt. seqq.),

Die exitii subducitur improbus,
Ultionis die solemniter deportantur cet.

Quae sane subita ad peregrinatorum judicium, quos multarum rerum plerumque gnaros nec partium studio ductos novimus, provocatio, aptissima illa ad causam Jobi suffulciendam, nonne insigni solertiae, qua polluit Poëta, testimonium praebet? Simile quid observandum venit in illis, quae legimus Cap. XXII: 6:

---

(1) וְחַנֹּתִי nempe conferendum cum Arabico حَنَّ *foetendi* notione, et בְּנֵי בִטְנִי *eadem secum matre natos* significare possunt. Cff. Rosenm. et Umbr. ad h. l. Alias satis speciosas interpretationes vid. apud eosdem et V. D. Palm. l. c.

Pignoratus es fratres tuos injuria,
Nudosque vestibus spoliasti,

et proxime sequentibus versiculis, quibus cunctis dextre et callide Eliphazus omnia illa Jobo affingit crimina, quorum virum principem facile reum agunt de plebe homines. — Eodem Cap., c. 17, pulcram habes *μίμησιν*, qua Orator de sceleratis prisci aevi hominibus locutus, quae dixerat amicus Cap. XXI: 14 alieno sensu ipsi reddit, repentina simul personarum commutatione vividissimum probans ingenium, hunc in modum: Antiqui igitur mundi via incedisti, istorum,

Qui Deo dicebant: recede a nobis;
Nam quid ipsis faceret Omnipotens?

Prior de hoc commate observatio ad sequens etiam pertinet, ubi Jobi effatum Cap. XXI: 16, invidiose ab altero in ipsum retortum videas. Plurimas enim mente et eloquio potentis Eliphazi ori ingerit Poëta sententias, ex vividae imaginationis fonte manantes. Ita mox, c. 19, 20, veri Numinis cultores, tanquam de improborum illorum interitu laetitia exsultantes, inducuntur:

Vident justi et gaudent,
Et innocens eos deridet;

hac quidem sanna triumphali:

Nonne excisus est noster adversarius,
Et excellentiam eorum absumsit ignis?

Quam autem graviter rursus ad haecce, oblique in ipsum directa, pertaesum injuriarum pectus effundit Jobus, Cap. XXIII: 2:

Utique amarae adhucdum sunt querelae meae,
Jam aggravatum eo meos gemitus (1).

Quam vero idem despondet animum c. 15, 16, post exhibitam in antecedentibus miri regiminis divini tabellam:

Propterea ab Ejus conspectu perturbor,
Re perpensa Eum expavesco.
Sane Deus liquefecit cor meum,
Omnipotensque tremorem mihi incussit!

Missis proxime sequentibus duobus Capitibus, in XXVI° inprimis acriter pungentis ironiae gladio adversantem sibi Bildadum ita invadit Poëmatis heros, ut *inopem se virium et consilii* vocitet, ad tumidam nimirum, qua alter ipsum invadere velle videbatur, oratiunculam (Cap. XXV) respiciens, c. 2 et 3:

Quam adjuvisti imbecillum,
Et sustentasti brachium impotens!
Quam consuluisti insipienti,
Solidamque sapientiam affatim ostendisti!

Pergit salso mordentique joco virum perstringere, qui ab Eliphazo fere sua mutuatus, nihil magnopere sublime ipse in medium proferre valuerat. Ille, doctor scilicet! suus, quam praeclara, humanumque prorsus modulum exsuperantia, ceu Dei afflatu, elocutus fuerat, uti innuitur c. 4:

---

(1) Ita eleganter difficillima illa יָדִי כָּבְדָה עַל אַנְחָתִי, quae varie torserunt Interpretes, sumsit V. D. Palm ad h. l., ubi vide, quid aliorum conatibus obstet.

Cuinam exposuisti sermones (1),
Et cujus halitus ex te exiit?

Jam audacissimo gressu ad longe alia delapsus, protinus sodalem ex male occupato sapientiae fastigio dejicit, excelsiora multo et efficaciora eloquentiae documenta subito ipse exhibens c. 5 et sqq. Quis non in talibus summam agnoscat genii poëtici vim et excellentiam? Complura vero ejusmodi in sequentibus etiam Capitibus prostant, ex quibus, in eorum, qui harum rerum dulcedine tenentur, gratiam, quaedam adhuc deligenda sunt. Sic Capite XXVII, c. 19, in vividam hanc delabimur improbi, necopinato omnibus orbati, picturam:

Dives cubitum it, nec quidquam ablatum erat,
Oculos aperit et nihil superest (2).

Ecquis porro in celebratissimo Cap. XXVIII$_o$ non fulgentissima exspectet ingenii lumina? Quam pulcre, ut hoc utar, ibi orator *sapientiam* abscondito in terrae visceribus metallo assimilat, sententiamque, quam pedestri sermone sic fere efferres: »qua demum via ad pernoscendum prudens divini mo-

---

(1) Sed recte fortassis, saltem ad augendum dicti acumen efficacius, itemque parallelismo aptius, cum Dathio et Palmio verteris: *Cujus demum dicta exposuisti?* Ut et hocce hemistichium ad Eliphazum, cujus claudicans imitator Bildadus fuerit, referatur.

(2) Quid huic interpretationi, prae alia, quam ita expressit Rosenmüll.: *Jacet dives intumulatus, intra oculi momentum exstinctus*, faveat, vide inprimis apud Dath. et Umbr. ad h. l.

deraminis consilium pervenient mortales?" ornatissime ita enunciat c. 12:

At sapientia unde invenitur?
Et quinam locus est prudentiae?

Quid autem solemnius suaviusque quaestionis illius, postquam sapientiae valorem supra pretiosissima quaeque extulerat, iisdem fere verbis repetitione c. 20? Qua simul stupendam dictis c. 23 sqq. vim conciliat, quibus rem tantopere exoptatam quis solus possideat, gravissime ita declaratur:

Deus novit viam ejus,
Ipse cognitum habet illius locum;

addita hac ratione, qua nihil tibi evidentius aeque ac acutius fingere queas:

Is enim extremos terrae terminos conspicit,
Quaecunque sub coelo sunt, videt;

ideoque rerum omnium rationes unus Ille mente teneat necesse est. Elegantissima vero, quae sequitur, harmoniae ordinumque in rerum natura, unius supremi Conditoris vi stabilitorum, expositio c. 25—27, ex qua scite *τὴν* חָכְמָה tanquam privam Ipsius dotem derivat, ad peculiare, quod plus semel memoravimus, sublimium Carminis locorum examen proprie pertinet. Adverte autem, quam concinne his praeclara illa annectatur gnome, qua excursum de sapientia terminans, quaenam sit, quam Deus mortalibus tanquam suam assignaverit, pronunciat Jobus:

Homini vero dixit: en reverentia Numinis est sapientia,
Et recedere a malo prudentia.

Eundem Cap. XXIX: 25, felicissimo fervidae imaginationis nisu, tum pristinum inter suos honoris locum, tum amabilem, qua erga eos usus fuerit, clementiam his audito verbis describentem:

Habitabam ut rex in agmine,
Perinde ac is, qui lugentes consolatur.

Ingeniosissimam deinceps contemplare tabellam, Cap. XXX: 1—14, ubi v. c. in illis, c. 23, 24:

Utique comperio, Te ad mortem me abducere,
Ad domum, in quo omnes viventes conveniunt.
Sanequam ad (corporis) reliquias manum non extendet;
Quando exitio (me) dederit, tunc relaxatio erit,

aptissime interjectum mihi videre videor solatium, quo semet ipse tantisper reficiat flebiliter in antecedentibus et mox iterum lugens Jobus (1). Extremis denique ipsius verbis, Cap. XXXI: 38—40:

Si contra me mea terra clamat, cet.,

ex multorum quidem mente, ob minus commodum, quem tenere videntur, locum, vitio trans-

---

(1) In vexatissimo nempe comm. 24 עִי trita vocis notione, cum Umbreito accipio: Kimchium autem et nominatim Schroederum secutus, בְּפִידוֹ verto: *in exitio ejus*, i. e. cui Ille (Deus) me tradat: לָהֶן vero sensu τοῦ לָהֵנָּה *illic*, quod prostat Ezech. I: 23 sumere, et vocabulo שֻׁעַ eandem, quam nomini תְּשׁוּעָה significationem subjicere placet. Cf. omnino ampla de hisce disquisitio apud Rosenm. ad l.

positis, quanta solertia orationum Jobéarum claudatur series, accurate ab UMBREITO et imprimis PALMIO ad h. l. expositum invenies. Tum grata rursus novitate in ipsis sermonum suorum auspiciis Elihuüs mentem, seniorum sapientum sententiis diutius intentam, ferit Cap. XXXII: 7, 8:

»Cogitabam," inquit, »aetate provecti loquantur,
Et annorum multitudo proferat sapientiam;
At profecto spiritus hominis est,
Afflatusque Omnipotentis, qui illos reddit intelligentes!"

Et generatim jam ab ipso introitu in eo esse videtur scientissimus vates, ut huic Oratori gratiam apud nos conciliet, sive prudentiam spectemus, qua hic triumviros vitii arguit, c. 8—13, sive nominatim praecisum illud c. 13 dictum:

Nolite igitur dicere, vos invenisse sapientiam;
Deus illum prosternat, non homines,

i. e. bene notante, quem modo ultimum excitabam, Interprete: »Dei est, eum erroris et culpae convincere, homines non possunt;" seu denique animadvertamus artem, qua, c. 21 et 22 de Deo hominibusque diverse verba se facturum esse proclamat. Ad haec autem eaque quae c. 18—20 habentur, alio loco posthac redeundum. Missa item τοῦ מַלְאָךְ מֵלִיץ, qui pro delinquente intercessorem agat, Cap. XXXIII: 23—27, mentione, ceterisque ingenii felicioris exemplis, quae affatim in Elihui sermonibus prostant (1), ex ipsius Dei ef-

(1) Eorum in usum, qui ampliorem expetant harum ele-

fatis, age, etiam unum et alterum huc spectans, expromamus. Sic Cap. XXXVIII. regiminis sui justitiam non asserit Dominus, quippe quod infra supremi Numinis majestatem merito censendum. Scite quoque visum, ut nullam Deus causarum, propter quas afflictus sit Jobus, det rationem; quo equidem splendidissimae huic parantur vindiciae; sola carpuntur intemperantius nonnunquam ab eo effutita, uti in ipso initio:

Quis iste est, qui consilium, *scilicet, mundum regentis Dei*, obscurat, *majoribus etiam tenebris involvit*, verbis insipientibus?

Quae mox excipiunt vibrantia illa, gravi notata ironia, c. 3:

Age, accinge, ut vir, lumbos tuos,
Interrogabo te, doce me,

Tu, scilicet, tam potens et perspicax, terrae filius, vermis diei! c. 4:

Ubinam eras, quum terrarum orbem fundarem?
Indica, si ea es peritia!

Profecto mundi adspectabilis rationes et consilia tu, minuscula ejus pars, mente complecteris tua! c. 5:

Quis illius dimensiones constituit?
Quippe tu nosti!
Aut quis lineam mensoriam super eum extendit?

---

gantiarum conspectum, attexere juvat locorum, qui hic in censum veniunt, elenchum. Sunt nempe Cap. XXXIV: 1, 16, 17, 27, 37. Cap. XXXV: 8. Cap. XXXVI: 7—9, 29—31. Cap. XXXVII: 1—5, 6, 11, 12; ad quae singula utiliter inprimis conferetur Palmii annotatio.

Eadem c. 18 repetitur figura, luculentissime autem exsplendescit c. 21:

Sane haec nosti, tunc enim jam natus eras;
Et dierum tuorum numerus, quam est ingens!

Ad alia devenimus, non minore ingenii luce conspicua. Deus inundanti nimbo aquaeductum effodit, secundum c. 25. Cuinam bono? Paradoxon infert egregium, quod c. 26 et 27 hac de re docent:

Ut pluviam demittat in terram incultam,
In desertum, ubi nulli sint homines;
Ut saturet vasta et desolata,
Et propullulare faciat germina.

»Illud vero homini Orientali, cui nihil pluvia carius, mirum videri posset, tam largas ejus copias in arida inhabitataque effundi deserta. Quid autem? An provida Dei cura destituerentur illa? Nonne solitaria etiam graminis germina refrigerantem expetunt aquam?" (1) Magna quoque vi gratiaque valent proxime sequentia:

Num patrem habet pluvia?
Aut quis roris stillas gignit?
Cujus ex ventre prodit glacies,
Coelique pruinam quis generat?

In quibus absconditum prorsus hominibus esse μετέωρων illorum coelestium ortum lucida imagine insinuat Creator. En vero novum prodigium c. 30! Simulatque bruma invaluit,

Tanquam lapide abdunt se aquae,
quasi operculo lapideo tectae essent,

---

(1) V. D. Palm.

Et fluentorum superficies constringitur.

Habes hiemalis scenae, de qua fando tantum audiverat Poëta, stupendam lectoribus Orientem incolentibus effigiem. — Desinimus in memorando tantum nobilissimo de astris coelestibus effato, siquidem egregie illud explicuit, qui multis ad manum est, Palmius. Quo etiam aliove bonae notae interprete duce usus, si quis ad eximia, quae in ceteris Capp. occurrunt, hujus generis loca accesserit, is satis, credo, illorum elegantias percipiet.

§ 4.

Hunc igitur dum rivum claudimus, grandium, qui late in Jobeïde dominantur, *affectuum* jam rationem habeamus. Hoc autem non multum fortasse a praecedentis §i argumento differre dicat quis, cum summae utique in expingendis sermocinantium πάθεσι esse debuerint imaginationis illius et ingenii, de quibus modo egimus, partes. Verum enim vero, quod ibi de industria fere intactum reliquimus, id in praesenti unice in censum veniet, divinam puta genii poëtici vim, quam in delineandis quam maxime diversis atque gravissimis humani pectoris motibus probaverit sacer Vates. Quae quidem eximia sane Carminis dos, ob crebrum ejus et longe nobilissimum ubique usum, peculiarem sibi deposcere videbatur pertractandi locum. Quid est enim, obsecro, quod magis in quocunque desideres poëta, quam hanc ipsam erectioris animi in affectibus humanis ex vero effingendis vim et copi-

am? Scilicet, ubi haec desunt, an ibi doctrinae ubertas, an rerum pondus, stilive tersi ac gravis lepos, defectum compensabunt? Multum abest profecto! Quid? Ipsis illis virtutibus, quas ex veri nominis poëmate vix exsulare posse §° superiore ostendimus, tutius adeo destituatur, quam germana illa, de qua hic sermo instituendus, vehementium quorumcunque πάθων adumbratione. Cum enim nihil aliud sibi velit de meliore luto formatus poëta, quam fidam animosque commoventem exhibere rerum imaginem; nusquam sane tanta cum dignitate conspiciendam semet praebere potest haec facultas poëtica, quam validissimarum, quibus humanum pectus agitatur, affectionum accurate graviterque referendo effigiem. Et quidem ejusmodi inprimis Carmini, quale Joheïs est, ut alta graphicae hujus artis ubique impressa sint vestigia, res ipsa poscere videtur. Has quippe nobilissimas Musae Orientalis reliquias argumenti esse quam maxime tragici et ad excitandos animorum motus fortissimos comparati, clamant omnia. Quotusquisque enim, quaeso, vates tam lugubre unquam sibi finxit rerum vix tolerabilium theatrum, quam illud est, ad quod libri Jobéi Cap. II*o* expavescimus? Septiduum juxta virum omnibus orbum, mireque doloribus excruciatum, consident, nec blando ullo ipsum alloquio erigere dignantur atroces, ferrei amici. Adverte porro, quomodo de argumento gravissimo aeque ac abstrusissimo, quod ad jactandam summa cum contentione disputationis aleam, inprimis aptum natum erat, alternis vicibus contraria

edant placita, cum alii celebres sapientia viri, strenue illi dogmata, quibus innutriti fuerant, propugnantes, tum Jobus, cui, si causa caderet, ultimum abiret afflicti in miseriis suis solatium. Qualia igitur in hujusmodi scena ex talium Oratorum ore erumpere debuerunt verborum fulmina!

Jam primus sermo, Cap. III, de aestuante, qui in reliquis regnabit, affectu jubet augurari. Vides ibi Jobum, plane ad incitas redactum, infandum tandem dolorem immani votorum terrificorum pondere faucibus ejaculantem. Ecquis, cedo, ex vatum ἐνθέων choro indignabundi ac desperantis animi imaginem ad tantum extulit fastigium? Sanequam ne Sophocles quidem ipse, si redivivus his libri Jobéi lineis mentem pascere posset, τοῦ τραγικῶδους palmam illi praereptam vellet. Enimvero locus, idoneo animi sensu lectus, magis quam ad minuti examinis lancem revocatus, unumquemque, qui nihil humani a se alienum putaverit, commovebit. Si quis vero de elegiaca ipsius praestantia subtiliter judicandi auctorem desideret, instar omnium sit, qui laudatissime in his facem sequentibus praetulit, Lowthus (1). Est autem in vehementissimis, quae totam Jobeïda permeant, πάθεσι porro observanda dives eorum *copia* et varietas, et *accurate expressa* singulorum *effigies*. Videlicet in

---

(1) Utiliter autem cum hoc conferentur Herderus, Muntinghius, alii. Equidem cum in libello, a. 1830 Groningae edito, cui tit. *Job in zijne Dichtspreuken*, cet., locum fuse tractandum sumserim, hic illi non immorabor.

scenis, quae commiserationem movent, in taedii, desperationis, similiumque pingendis affectibus nulli cedens aemulo, alios praeterea eosque diversissimos animorum motus tangere non neglexit Poëta. Quod quidem ad prius illud attinet: idem fere, qui Cap. III°, VI° etiam inducitur Jobus, hoc solo sed notabili cum discrimine, quod supra obiter attigimus, quod, auditis Eliphazi (Cap. IV et V) admonitionibus, jam majorem quandam animi res serio secum perpendentis prae se ferat tranquillitatem. Scilicet, non continenter indignatione excandescere potest turbida malorum tempestate mens. Quemadmodum hic Jobi ad rectae rationis tramitem reditus in universo pene Cap. VI° elucet, in longiore, ut hoc utar, multoque subtilius, quam furore externati solent, exarata c. 15—20 similitudine; sic contra nonnullis in locis *et* desperans denuo, *et* vero etiam tantisper triumphali exsultans laetitia exhibetur Carminis heros. Ita ardentissimum, v. c., c. 8 et 9, ex primo illud miseri θρήνῳ fere repetitum legimus mortis votum, quo subito ab Eliphazi, inepti monitoris, increpatione (c. 5—7), per audaciorem saltum devectus, jactabundam hujus et inanem uno quasi ictu pessundat sapientiam. Ex altero autem genere est, quod repentino festi gaudii sensu movetur, ubi, vitae inculpatae memor, tanquam aerumnarum terminum instantem sibi mortem salutat, c. 10:

Hoc vero mihi solatio esset,
Exsultarem in dolore, si non parceret (Deus),

Quoniam Sanctissimi effatis *obsequi* non detrectavi (1).

In quantum vero effrenae vehementiae gradum in altera orationis suae parte, Cap. VII, assurgere iterum putes Viri pii in Deum licentiam? Os suum, inquit, c. 11, amplius continere non lubet; ingemiscere placitum est prae gravissimo mentis moerore;

Num mare sum — pergit c. 12 — an monstrum marinum?

Ut Tu mihi custodiam adhibeas?

Qua sane imagine quid ad impotens vitae taedium declarandum fortius tibi fingas? Conferenda omnino sunt eodem inducta colore commata 15, 16.

Et haec quidem verbotenus excitasse exempla suffecerit, cum innumera pene sint, et vero bona eorum pars in posterum suis locis sit recensenda. Paucis igitur de hac dote poëtica observationibus addendis hic defungemur. In ipsius quidem Jobi dictis fortissimum inprimis vigere affectum, id vero rei ratio flagitabat, comprobatque accurata eorum cum sodalium effatis comparatio. Jam vero, licet deliberato et sagaci consilio Poëta, uti §° seq. videbimus, majorem quandam animi aequabilitatem his assignarit, minime tamen sic habeto, acsi amicorum sermones fervido mentis aestu carerent. Alia

---

(1) Cff., si tanti videtur, de hujus commatis totiusque orationis contextae sensu et consilio, quae in opusculo modo citato pag. 80 conjecimus.

omnia nos §us illa docebit. Pectus utique erat, quod et hos disertos faciebat. Quod autem ad principem Carminis personam attinet, quum ceteras hic loci intactas relinquere visum sit; post strenue refutatum, Cap. IX, Bildadi alloquium, elatiorem ille dicendi modum, cui hujus insimulationes Cap. VIII ansam dederant, paulatim valere jubens, Cap. X insigniter flebili mentem moerore pascit. Qui quidem tenerior sensus, cum c. 16, 17 (1) recenti et violento corporis dolore graviter intermissus esset, protinus ad tenuius illud ac lugubre lamentationis genus in reliquis redit oratio. In nullo autem facile monumento poëtico tam rapidum continuumque deprehendas jactati validissime animi impetum, quam ille est, qui totam illuminat declamationem Jobéam Capp. XVI et XVII. Concitata, aestuosa ibi omnia, mireque mixtum quoddam celerrime sese excipientium diversi generis affectuum

---

(1) Quidni enim vulgarium commatis 15 interpretationum loco hanc, et verborum seriei et Jobi conditioni aeque congruam amplecteremur PALMII versionem:

At, eheu, effert se Ille!
Leonis in modum venaris me,
Et iterato mirifice mecum agis!

ויגה illud quam jejune et frigide, ut plurimum, accipiatur, vid. apud A. SCHULT. et ROSENM. ad l. Ipse non multum hic praestitit UMBR., nec qui verbotenus fere ipsius mentem expressit, LANGIUS; cujus versio sic se habet:

Und höb es sich, nempe dolor meus, c. 15, so würdest du mich jagen, wie ein Leu,
Und deine Wunderkraft von neuem an mir zeigen.

exhibetur spectaculum. Eo quippe jam miserum adegerant duri et injuriosi oratoris Eliphazi Cap. XV*o* minae. Vide, quam se efferat illius indignatio, Cap. XVI: 7—14, meditata eorum, qui amici videri volebant, odiosa in accusando pertinacia; tum vero quantam haec ad illum c. 15, 16 mirifice excruciandum, habeat vim; quam strenue nihilominus pro innocentia dimicet sua, Deumque unicum hujus vindicem invocet, c. 17—22. »In altera autem orationis parte, Cap. XVII*o* frustra aptam notionum consecutionem quaereres, quum jam eo hic adscenderit pectoris motus, quo justa desiderari solet rerum ac verborum conglutinatio. Plenus scenarum inversionibus sermo, exundans quasi sensuum diversissimorum fluctibus amnis. Hic de amicis, illic de sorte sua conqueritur miserabilis Jobus. Subinde in profundam delabitur moestitiam, sed iterum inculpatae ipsum vitae recordatio erigit; donec omnis tandem spes sua secum in sepulcrum desidit, et mortuorum regni incola, jam media in putredine, tanquam inter cognatos obambulat" (1). Quid autem de Cap. XIX*o* dicam, ubi, si usquam, quid in tragico valeat genere affatim comprobatum dedit Poëta. Nae isti praecordia occalluisse dicendum est, qui non immaniter ibi de rebus suis lugentem defleat Jobum, nec tristissimae concinat supplicis lamentationi, c. 21:

Misereminі mei, miseremini, vos mei amici,
Nam Dei manus tetigit me!

---

(1) *Ita fere* PALMIUS dilucide Capitis summam exposuit.

aut ex imo dolorum, quibus prostratus jacebat, barathro in summum fiduciae rupe firmioris apicem (c. 23—27), post debellatos iniquos obtrectatores, (c. 28, 29), laetus cum heroë nostro assurgat? Jam post ardentia, quae Cap. XXo vibrat, comminationum fulmina Zopharus, qui rabidae, quae e pectore ebulliat, irae aestum ipse sermonis sui initio (c. 2) significaverat, ad majorem quidem, quod mirum videri queat, sed in quo, collata Cap. III §o 2, Poëtae elucet artificium, tranquillitatem componitur Jobi animus; passim tamen, uti Cap. XXI: 6, comparata subito sua miseria cum improborum incolumitate (c. 7 sqq.), vehementer iterum turbatur et affligitur. Cujusmodi et in Cap. XXIIIi exordio, praecedente §o deprehendimus. Nec ab ultimis ejus declamationibus exulat gravissime exulcerati animi adumbratio. Exemplo sit totum fere Cap. XXX. Quam enim dextre ibi innuitur, quantam continuae summoque cum opprobrio junctae miseriae ad irritandum virum probum ac patientem vim habuerint. Et in peroratione etiam sua, Cap. XXXI: 35 — totus denuo sacro ardore abripitur, cum partim inculpatae vitae conscientia suffultus, calidissimis verbis de rebus suis pronunciat, virtutisque triumphum vere heroïcum agit, c. 35—37, partim a comm. inde 38o usque ad finem, addita ejusmodi generis sententia, cui orationis series alium proprie deposceret locum, mentis susque deque jactatae, quae dictionis limam et concinnitatem non maximopere curet, luculentissimum rursus praebet testimonium.

In Elihuï quidem sermonibus si, rerum rationi convenienter, tragici illius affectus turbinem desideres, qui in Jobéis legentium praecordia ferit, non vacant contra illi fortissimis quibusvis juvenilis animi commotionibus. Principio quidem, Cap. XXXII vehementer eum causae, quam agendam sumit, gravitate perculsum, summoque adeo admirationis stupore de alto ceterorum Oratorum silentio, c. 15, 16 abreptum videmus; quam vero inprimis terrifica tempestas, Numinis adventantis praenuncia Cap. XXXVII, ejus concusserit animum, non potest non imis persentiscere medullis, qui Hebraicis cum praeclara eorum interpretatione Palmiana conferendis insumserit operam.

In percensendis quoque magnificentissimis Dei alloquiis hic nobis brevioribus esse licebit. Scilicet, quantam singula spirant majestatem supremo Numine dignam, tantum eadem habent beatae ab omnique ira ac studio remotissimae tranquillitatis, quae sapientem sanctumque deceat Dominum; quapropter quae largam observationum copiam §o seq. et alibi sunt oblatura, tenuiorem hoc loco nobis praebeant necesse est. Neque enimvero iis etiam dictis, quae concitato ardentique pectore, ἀνθρωποπαθῶς hinc inde a Deo prolata leguntur, immorabimur, quibus quippe lustrandis §o 6 opportunus erit locus.

§ 4.

Agedum igitur, absoluto hoc gravissimorum,

qui Jobeïdem illustrant, affectuum examine, ad contemplandas alias iterum ejus elegantias accedamus. Permagni scilicet ea censenda est hujus Poëmatis virtus, quod Personarum, qui dicuntur, *characteres* incomparabili, ut plurimum, cum venustate, et ad verosimilitudinis normam accommodatissime, in eo exarantur. In quo quidem ita versatus est Auctor, ut non singulorum tantum Oratorum imaginibus juxta proprietatem quamque suam exprimendis, sed tota etiam sermonum compage, rerum rationi convenienter delineanda, quid in hoc genere valeat, egregie probaverit. Quantivis autem in poësi pretii ducendam esse accuratam ejusmodi naturae humanae notationem, nemo facile inficias iverit. Enimvero in animum tantisper inducamus, alia omnia locum habere, neglectam esse hanc morum et scenarum proprietatem, quidni chaos quoddam poëticum, nec bene junctarum rudem indigestamque rerum molem deprehendemus? Hoc est utique, quo male audiunt sat multa Orientalium hominum, ex literarum elegantiorum genere, monumenta. Immane illud et exaggeratum, in quo luxuriant tam prosae orationis, quam poëseos inter Arabes auctores, saepe eximiam eorum gratiam majestatemque obnubilat, verique ac nativi in rerum pictura defectum vix imaginum pompa stilique leporibus compensari putabit quicunque judicii pollet prudentia gustusque sanitate. Siquis enim e. g. ab eroticorum hujus gentis carminum, mire tumentium, omnesque nonnunquam apti et consentanei limites migrantium, studio ad tersum

illud et castum Hebraeorum Canticum, quod dicitur, Canticorum lectitandum accesserit, nae ille intime id quod volumus sentiet. Sed aliud exemplum, rei nostrae magis affine, hic expromere juvat. Scilicet, si quis Arabum nostrique Poëtae admirator alternantium in Jobeïde sermonum catenam cum celebratis illis componat Consessibus, quibus gloriatur docta Ismaëlis prosapia, hic, nisi omnis fallor, comperiet, quid quidem inter justum propriumque descriptionis modum et enormiter ducta rerum lineamenta intersit discriminis, neque etiam, quam illud dignitatis accessionem operi poëtico subministret, fugere ipsum posse arbitror. Si enim, uti mox, speciminum quodam delectu fiet clarissimum, in universa Jobeïde germanum quibuscunque personis in scenam adductis characterem impressum agnoscamus, si nativum cunctis colorem illinitum, suum cuique morem et dictionem tributam videamus; nonne hujusmodi poëmatis conditorem omne censebimus tulisse punctum, auctorisque peritissimi, qui intima naturae humanae penetralia pervestigaverit, ipsi deferemus honorem? Hac ergo laude Nostrum non injuria mactari, jam introspecta iterum pagina Jobéa probemus. Et quidem ex iis, quae huc pertinere supra (pag. 147) notavimus, illud

I. *Primum* nobis sit rerum pertractandarum caput, quod rationem, qua universa orationum series, humanae indoli convenienter constructa est, explicet; altero autem singulorum effigies Oratorum singulari identidem examini subjiciemus. — De ser-

monum quidem exordio, post ea, quae §o praeced. disputata sunt, hic nihil attinet dicere, cum non possit non in omnium incurrere oculos, quam ille gravissimus, quem adstupuimus, Jobéi animi aestus praesenti ipsius conditioni accommodatus sit. Apposite idem ad multa ab amico Cap. IV et V iniquius dicta parat responsum Cap. VIo, veluti c. 10, ubi sinistrae Eliphazi quaestionis, Cap. IV: 6:

Annon tua pietas erat spes tua?
Et fiducia tuae vitae integritas?

haec habetur ratio, ut se Dei quidem obsequio etiam nunc addictissimum obtestetur, eo autem ipso spem foveat, non sane salutis, quam alter in ore habebat, hac in vita recuperandae, sed quam a sola morte exspectet. Similiter aptissime mox ad ejusdem farinae insimulationes et promissa reditur c. 11, 12, coll. Cap. V: 17—27:

Quae demum mihi vires, ut sperare possim?
Et quis terminus, quo extendam patientiam meam?
An saxeum mihi robur?
Num caro mea aenea?

Et sequenti comm., collato inprimis Cap. IV: 7—11 et V: 3—7, quo obliqua impietatis suspicio, ex Jobi aerumnis derivata, ita opportune retunditur:

Num, si auxilii expers sum,
Sapientia (1) quoque a me recessit?

---

(1) תּוּשִׁיָּה *solida sapientia*, h. l. *religio*, *virtus*, uti in Proverbiis Salom. et alibi saepius. Ceterum recentiorum multis felicius jam Dathius totius versiculi sensum explanasse mihi quidem videtur.

Denique praepostera in se molimina, quae et habitu universo amici et ipso suo alloquio palam fecerat Eliphazus, scite prorsus et concinne ipsis exprobrat Jobus, tum celebrata imagine c. 15—21, tum gravi hac sententia c. 14:

Malis consumto fieret ab amico suo humanitas,
Etsi missam fecerat reverentiam Numinis (1).

Sequentia Capita, ad alteram quippe hujus §i. partem magis pertinentia, transeuntes, in XVIo tantum obiter notamus vim, quam acris Eliphazi oratio in miserum habuisse, χαρακτηριστικῶς significatur. Atrocissimo scilicet exinde percitus mentis dolore, ab omni illa, qua sermone antecedente (Cap. XII: 2, 3 et Cap. XIII: 2, 4, 5, 12) bene meritos exagitaverat, insultatione se cohibet, profundo animi moerori jam penitus indulturus, inque Dei, testis sui ac arbitri, sinum querimonias suas effundere satagens. Eandem in observanda humanae indolis ratione sagacitatem adverte toto Cap. XXIo. Post tot ac tanta triumvirorum opprobria, in quibus ceteros, nae ipsum se, superasse Cap. XXo videbatur Zopharus, putaverit forte aliquis, immoderatius indignationis sensui frena laxaturum fore pessime habitum Jobum. At secus visum poëtae, Creatoris sapientissimi in efformandis hominum ani-

---

(1) Hanc ad Poëtae consilium apprime compositam Bergii (in Animadverss., H. A. Schultensii interpretationi germanice conversae subnexis) explicationem idoneis apud Rosenmüllerum argumentis suffultam vide in Scholl. ad l., edit 2dae pag. 215.

mis vestigia prudenter legenti. Scilicet in promptu ipsi fuit, quemadmodum ad mala quaevis rigescere quodammodo soleat mortalium pectus, ita quidem, ut tandem ad quendam placidae tranquillitatis gradum ex imo se ignominiarum gurgite erigat. Hinc illa serenior frons Jobi, de moderamine divino graviter et ordine disserentis. Sensim amaritudo animi sublimiorum contemplatione rerum absumitur. Principio quidem etiamnunc ipsi adest c. 2:

Ferte me, dum ego loquor,
Et postquam locutus fuero, tibi licet *illudere*;

sed subitus motus est, saniori statim animi impulsui cedens. — Vide autem, quam apposite etiam ultima, sed novis obtrectationibus affluens Eliphazi oratio a Jobo excipiatur Cap. XXIII$_o$, ubi, sicuti rerum rationi convenit, ut virulentis conviciorum telis tantopere confixus se ad unum tandem, quod in justitia divina sibi restaret, perfugium converteret, ita revera ipse ad hanc satis tranquillato animo provocat. Ab omni vero exasperatae mentis significatione: cum se nondum temperare potuisse ejusmodi infortunatum, itidem naturae humanae consentaneum sit, hinc et questus ex ore emittit, qualis hicce est c. 14, ex probabili saltem prioris hemistichii interpretatione (1):

(1) Quam quidem, longe a recentiorum ad unum fere omnium versione: *Perficiet quae de me decrevit*, recedentem, verba ישלים חקי rectius forte reddere, orationis saltem seriei aptiorem videri, scite animadvertit V. D. PALM.

Ille, *Deus*, tradidit jus meum,
Et plura ejusmodi peraguntur ab Illo. —
Ceterum, si audaciorem Jobi ad tribunal divinum appellationem, hoc Cap. comprehensam, a Bildado defunctoria sua, Cap. XXV, oratiuncula argui statuas; et a verosimilitudinis specie non multum recesseris, et vero habebis, quo Poëtae oratorem, qui se ultimum heroi suo opposuit, hoc etiam respectu commode in scenam introductum gratulere. — Sed ut ad hunc redeamus, qui majore quadam, post prostratos adversarios, mentis serenitate et temperantia utitur, nihilo tamen secius illum omne id, quod in perditam suam conditionem quadraret, vivide identidem persensisse, aequa prudentia submonitum videas, uti in crudioribus hisce obtestationibus, Cap. XXVII: 2:

Per Deum immortalem, qui jus meum amovit;
Per Omnipotentem, qui amaritudine replevit animam meam!

In Cap. autem XXIX: c. 12—17 ne nos fugiat adspersae sibi ab Eliphazo, Cap. XXII: 5—9 labis, alta mente Jobo reposta injuria, quam si, exhibita hic Emiri, qualem se praestiterat, aequi et boni tabella, ipsum abstergere a se voluisse putemus, locum lucrabimur, quo, quam scienter exprimendis hominum ingeniis operam navaverit Poëta, appareat. Plura equidem in scedula notata habeo, cum in Jobi tum in Elihui ipsiusque Dei sermonibus, quae palmariam hanc auctori nostro vindicant dotem; sed ohe! jam satis est exemplorum, clamitantem nonneminem audire mihi videor. Et sane

tanti est momenti, quae altera hujus §i sectione nos manet disputatio, ut ad illam ampliora requirantur spatia, quae ut hisce diutius immorer, vix permittant.

II. Age igitur, insignes illos, qui in Jobeïde comparent, Oratores ex ordine nobis in mentem revocemus, quo planum fiat, quam *digne* et *apte* singulorum personae informatae, quamque *diversae* cuique partes tributae sint. Haec enimvero tria sunt rerum capita, quibus probabilis actorum in justo dramate imago absolvitur; haec illa lumina, quae eximiam cuique carminum generi venustatem conciliare et ipsa res docet, et quod in excellentissimis vatibus, uti Homero, fieri videmus, affatim confirmat. Et *primum* quidem, si dignitatem gravitatemque eorum, qui eminentiorem in theatro poëtico locum occupant, suspicere juvat, illum heroïcae poëseos, quem prae multis dilectum lubenter excitamus, patrem adito, inque Agamemnone suo longe omnibus praecellentis, quae ποιμένα λαῶν decet, majestatis adstupe imaginem. Sin vero lubeat *alterum* illud, concinnitatem, inquam, qua singulae ad singulos Carminis heroas pingendos ducantur lineae, harumque ad illud exornandum vim intimo animi sensu experiri, eadem manu versetur Ilias, iterumque ille praesto sit ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων, altero comitante Atride; exsurgat perduellis illius adversarius πόδας ὠκὺς Achilles; perpendantur πολύμητιος Ulyssis machinae, in Hectore semper idem suorum et patriae amor, in Thersite impudentia, in Priamo, Helena, Paride . . . . Sed

ab Homero, cujus grata quoque, quam *tertio* loco nominabam, in expingendis singulis copia et varietas omnium ore celebrata est, ad Jobeïdis, quem commentamur, auctorem nostra redeat oratio.

1. Prima igitur atque princeps ejus persona jam nobis menti obversetur, Jobus; qualis nempe ac quantus fuerit, quid expertus locutusque sit, secundum Poëtae nostri inductionem, ut quae in illius imagine ejus, quam diximus, pulcritudinis inveniuntur vestigia, eo clarius nobis illucescant. Abundantissimam autem hujus in toto sermonum Jobéorum complexu reperiri copiam, sequens hoc, quod collegimus, nos docebit spicilegium. Quemadmodum enim dignissimus Deo vindice nodus est, qui in monumento hoc poëtico nectitur; ita non minus dignam tanto Carmine habendam esse ipsius, qui in eo celebratur, herois personam, apteque insuper et probabiliter omnia, quae ad eum informandum pertinent, concinnata esse, nunc, age! brevi in tabella conspiciendum demus; sic quidem, ut quid de *pristino* Viri *statu*, tum de ejus *moribus* ipse et passim socii referant, notemus; porro praesentis *miseriae* suae descriptionem ex ejusdem ore hauriamus; quales denique *animi sensus* et in genere de *ea*, et in *amicos Deumque O. M.* exseruerit, advertamus. En tibi *sex* rerum momenta, ex quibus, si quid video, Hebraei vatis in exhibendo nobilissimi Jobi emblemate prudentiam gravitatemque recte derives.

a. Primum igitur, augusto in *dignitatis* loco, quem decantandum sibi sumserat, Virum collocare

voluisse Poëtam, uti in superioribus vidimus, ita in elegantissimo Cap. XXIX°, quo priscam ille vitae suae conditionem depingit, hoc inprimis palam fit. En quantum virum! Quali viget reverentiae tantum non regiae inter suos honore c. 7—11, 21—25. Quanta beatus est divitiarum et cujusvis boni exoptatissimi affluentia, c. 2—6:

Omnipotens ei aderat,
Undique stipante ipsum familia;
Lacte sua lavabantur vestigia,
Rupesque ipsi olei rivos fundebat, c. 5, 6 (1).

Quanta viro illo fortunato ac bono, ut incolumis sibi splendidaeque ad extremam usque senectutem vitae usuram augurâretur, esse videbatur materia, c. 18—20. *Viro*, inquam, *bono*, nam et qua talem inprimis, id quod

b. Secundo loco observandum, ejus imaginem rite adumbravit Poëta, quo maximam ei apud optimum quemque conciliaret gratiam, morumque inter ingenuorum decus atque externae conditionis magnificentiam pulcerrimum idemque gravissimum exsisteret connubium. Sic eadem, in qua versamur, tabula, c. 12—16, aequitatem, omninoque mitem praepotentis ac nobilis Emiri φιλανθρωπίαν, commate autem 17 ultricem erga improbos justitiam

---

(1) Pulcerrimas vitae suae felicissimae et honoratissimae lineas, quas in sequentibus ducit Jobus, aeque ac cetera, quae mox citabimus, citabimus tantum, non latinitate donabimus, cum ad loca illa, quae sublimitatis et suavitatis nomine commendabilia, seorsim explicanda erunt, propric pertineant.

elegantissime juxta cumulatissimas Viri fortunas ac honores collocavit. Neque per totum Carmen extollendis virtutum, quae principem hanc personam nobilitaverant, laudibus defuit. Ex ipsorum — atqui vide, quam aptum hoc! — adversariorum ore istas elicuit. Sic Cap. IV: 3, 4 benignam ac comem Jobi misericordiam non celat Eliphazus. Nec mirum, cum tam celebrata fuerat illius probitas, ut sodalium neminem latere potuerit; quod forte innuitur miseri voto, Cap. VI: 29 (1). — Saltem ipse ad eam crebro provocare non veretur, uti Cap. XVI: 17—19. XVIII: 10—12. XXVII: 6; quibus omnibus locis summo in dolorum mortisque, jam jam, ut videbatur, instantis discrimine, candidum de vitae ante actae ratione sensibusque, quos erga Deum et homines in sinu foverit, testimonium exhibere non detrectavit. Sed quid multa? Instar omnium esto animosa morum, qui principem in Oriente virum deceant, descriptio, Cap. XXXI, qua quidem ipse, ad comparandum sibi ingenui cujusque favorem accommodatissime, quem felicitatis suae fecerit usum significat. Integer vitae fuerat purusque sceleris, velut impudicitiae, fraudis, avaritiae atque idololatriae clandesti-

---

(1) Ita V. D. Palm. Aliter equidem locum explicui in libello supra citato, cui interpretationi magis concinere videtur, quod nuper dedit Langius:

ô Lenkt doch ein, mög' Unrecht nicht geschehen:
Lenkt ein, noch steht mein Recht in dieser Sache fest!

Sed haec et similia curatius expendere non hujus loci est.

nae, quibus alia adjungit vitia, uti ultionis studium, hypocrisin, tyrannidem et vesanam habendi cupidinem. Imo vero recta his opposita se excoluisse virtutes, omni animi contentione asseverat; ex quibus igitur viri praeprimis amabilis, nulloque non elogio extollendi, exsistit effigies, qui, ut iterum Palmii verbis utamur, (1) sanctissimae pietatis, candido generosoque insidentis pectori, exemplar exhibeat, quod ad praeceptorum Euangelicorum proxime accedat praestantiam.

c. Jam vero talem tantumque Virum, humani generis decus, aequalium delicias et amorem, ex supremo commeriti honoris et prosperitatis culmine in imum horrendae *aerumnae* gurgitem subito detrusum videmus; qua quidem in rerum conversione, gravique, quam in afflicti mentem habuerit, vi referenda, quid in pingendi arte valeat, ita probatum dedit Poëta, ut pro merito satis collaudari nequeat. Si nempe perditissimam, in qua, audacioris phantasiae vi, Jobum collocavit, conditionem propius intueare, egregie illum in adumbrandis singulis ejus περίστασεσι sibi constitisse, absolutamque hominis, teterrimo, quem supra nuncupavimus, morbo excruciati, ante oculos posuisse imaginem, non denegaveris. Recurramus enim ad terrifica illa somnia, intolerandasque insomniis noctes, Cap. VII: 4, 14; corporis itidem ulceribus laceri horribilem meminerimus formam, c. 5 descriptam, habebimus utique, in quo graphicam in-

(1) In praefixo huic Capiti argumento.

fandae aegritudinis picturam tremebundi adstupeamus. Omnium autem illustrissimi speciminis loco evolvatur Cap. XIX, ubi detestata Jobi halitum ipsius uxor c. 17, insultans juvenum misero illudentium procacitas c. 18, nec non adhaerentia prae macie cuti ossa, spectaculum offerunt, ad rem cumprimis appositum. Longe etiam gravissimus in signandis dirae hujus afflictionis notis locus est Cap. XXX, in quo nescio, quid magis admirer, vividamne ignominiae, a pessima sibi mortalium faece illatae (c. 1—14) imaginem, cum intestino praecordiorum aestu (c. 27), externoque corporis habitu (c. 28 et 30), nec non lugubri miserabilis ejulatu (c. 29), an vero vim, quam tot ac tanta rerum discrimina ad varie commovendum doloribus exsatiati animum habuisse fingit Poëta.

d. Et sic quidem ad quartum characteristices Jobéae caput, quod in declarandis ipsius, urgente malorum tempestate, *sensibus*, occupabitur, delati sumus. Cujus vero loci pertractationem, in quo non minus prudentem peritumque semet praestitit Auctor, angustis tamen circumscribemus cancellis. Brevi enim in conspectu illas exhibere conducet pericopas, ex quibus luculenter appareat, quam apta in genere, quam etiam nullibi ab illa, in qua versabatur, conditione aliena sint, quae Carminis heroi tribuuntur, sensa et molimina. Sic, ut ab hoc ordiar, Cap. VII, comm. 11 acerrimo dolori et questibus frena laxaturum sese pronunciat, morti scilicet, ut augurabatur, proximus, neque vitae ullas iterum percepturus delicias. Acque in hanc re-

rum faciem quadrare puto, quae Cap. IX: 25, 26 et passim alibi eleganter variatur, de fortuna sua secunda, celerrime praeterlapsa declamatio, nec non gravis c. 27, 28 querimonia de continuis, quibus, cum paulisper animum reficere gestiat, per novos identidem fallacis leprae accessus jactetur, horroribus. Quidni et tanta mala passo nonnunquam, uti Cap. X: 8—12, ex probabili saltem interpretatione, mirari subeat, Deo opus suum, eximia cum cura conditum, tam misere rursus destruere visum esse? Tum in crebro injecta illa mortis dudum exspectatae, Cap. X: 20—22 mentione, nec non in iis, quae Cap. X et alibi, uti jam Cap. III factum erat, funduntur, votis, ut ne in dias luminis auras prodiisset, aut ut tantillum recreationis sibi largiatur Deus, Cap. X: 20, et dein saepius: in his, inquam, similibusque nonne germanum summae aegritudinis sensum agnoscimus? De miris etiam regiminis divini tenebris, quas nunquam non meditatur, saepissimeque (vid. Cap. XII: 14—25) in ore habet vir integerrimus, supra jam aliquoties egimus. Quantam porro subinde prae se fert (conf. Cap. XIII: 16, 18, 19. Cap. XVI: 17—19 cet.) intemerati animi conscientiam, metuque Dei et mortis vacuum, quod pium ejusmodi deceat, pectus! Quam denique ex imis naturae humanae penetralibus haustum illud est, quod qui adversam suam satis aeque pertulerit fortunam, ferendae amicorum perfidiae prorsus imparem se esse significet Cap. XVI: 7, 11, 12 et alibi. Tacebo enim dignam generoso et erecto he-

rois nostri animo sententiam de eo, quod probi, auditis ipsius fatis, facturi esse sibi videantur, Cap. XVII: 8, 9; quin toto hoc argumento ita nobis defungi liceat, ut quae loca alios, quam quos hucusque percensuimus, sensus meditanti de aerumnis suis Jobo attribuunt, ipsis characteristices poëticae studiosis evolvenda commendemus. Sunt autem ea potissimum, quae leguntur Cap. XVII: 14—16. Cap. XIX: 7—10, 23—27. Cap. XXI: 4, 16, juxta sensum supra propositum; denique Cap. XXIII: 15—17 et Cap. XXVII: 8—23.

e. Jam vero, quod Virum, tali in rerum discrimine collocatum, *in amicos* ejusmodi, quales triumviros ipsum consolaturos cognovimus, *animo volvere oreque edere* opportunum videri queat, id omne cumulatissime ipsi recteque semper hoc in Carmine assignari, inspecta sermonum, quibus in eos invehitur, series abunde comprobabit. Quod autem clarius etiam patebit, quando mox ipsas horum sodalium personas propius salutaveris. Conferantur autem in antecessum hunc in finem sequentes Jobi sententiae: Cap. VI: 15, 21, 22—27. Cap. XII: 2—4. Cap. XIII: 2, 4—12. Cap. XVI: 2, 3, 7, 11, 13, 14, 20, 21. Cap. XVII: 2, 4, 5, 10, 12. Cap. XIX: 2—6, 21, 22, 28, 29. Cap. XXI: 2, 3, 27, 28, 34. Cap. XXVI: 2—4. His enim rite perpensis, quam sana sint, strenueque urgentia, quam loci, temporum atque hominum rationibus congrua, verbo, quam unicuique amicorum obtrectationi et injuriae ex aequo opposita, apparebit.

f. Ultimo loco de iis sigillatim etiam agendum est *animi* motibus *consiliis*que, quae *erga supremum* sortis suae *Moderatorem* palam fecit Carminis heros. In quibus delineandis non minus diligenter sciteque versatus est Auctor. Quod sane non erit, qui deneget, quisquis Jobi de divinis erga se placitis cogitata, per omnes sermones suos diffusa, attento lectitarit animo. Quanta sunt enim quamque ardua, sed rerum scenae propria semper, miro Omnipotentis nutu jactati viri in Ipsius numen molimina, quorum vividam mox, Cap. III: 20—23 et VII: 12, 17, 19, 20, 21, intueare imaginem! Nec deërit Poëtae in talibus prudentiam adstupendi materia, si loca, in inferiori hujus paginae margine notata, (1) conferre libuerit.

2. Ad contemplandam enim solerti ac docto penicillo ductam ceterorum Oratorum effigiem properandum est. Qui quidem locus hanc habebit vim, ut non tantum, quam graviter et decenter has quoque personas efformaverit summi vatis industria, sed partium etiam, quas singulae sustinent, morumque, quibus insigniuntur, jucundam quandam vicissitudinem diversitatemque nobis exhibiturus sit.

(1) Non tantum quo animo in vitae suae Arbitrum fuisse, sed generatim etiam, quales de Eo, Ipsiusque regimine sententias fovisse fingatur malorum mole oppressus Jobus, docent Cap. IX, 2—4, 12—24, 30—35. X: 3—17. XIII: 23—27. XIV: 3, 13, 21, 22. Forte et XVII, 6, nisi ad Eliphazum referre malis; porro XIX: 6—13, 21, 22, 25—27. XXIII: 6—10, 13—17. XXIV: 1, 23. XXVII: 2. XXX: 18—24. XXXI: 35.

Hanc autem dotem poëticam, quae in heroum, quos ante memorabam, Homericorum imagine, infinite identidem variata et hac illave semper linea, qua similia discriminentur, notata, effulget, quam eleganter carmini suo conciliaverit scientissimus Jobeïdis conditor, nunc age, paulo curatius explicare conemur. Quod igitur in immortali sublimioris poëseos monumento praestitit Anglorum Miltonus, (nam et ex recentioribus illustrem aliquem conferre liceat vatem), ut malarum horrendi, quod delineavit, Pandaemonii animarum simulacra alio iterum atque alio tinxerit colore et majore illas minoreve fastus, calliditatis, nequitiae furoris, aliorumque imbuerit affectuum vi (1); eadem perantiquum hoc Musae sacrae κειμήλιον virtute gaudere, gratamque quandam hinc tristissimae rerum scenae induci quasi festivitatem agnoscimus, quoties Eliphazum ceterosque Jobi contemplamur amicos. Jam si ad varias hasce indolis notas, quibus singuli illi, quique iis orator succedit, Elihuüs, nec non ultimus ipse Deus, insigniuntur, indubia accedat et dignitatis et concinnitatis laus, fallarne, si praeclare, quam Cap. IIIo auspicatus erat, morum tabellam ad extremam usque metam perduxisse Poëtam, pronunciem?

a. *Eliphazus* ergo, ut breviter cuncta haec — nam ampla observationum messis intra angustas areas coarctanda est — perstringamus, quantum a Jobo studiis totaque adeo ingenii et elocutionis ra-

(1) Vid. *Paradise lost*, Book I.

tione differat, non est profecto, quod etiamnunc commoneamus. At vero animi excelsitate, supremi Numinis reverentia, orationum item magnificentia et sublimitate haud multum nonnunquam huic invenimus disparem. In quo quidem amicorum antesignano his characteribus super ceteros extollendo, quam dextre versatus sit Poëta, itidem in praecedentibus indicatum esse memineris. Habes autem religiosi, quod principem illum Oratorem regit, sensus pedetentim quidem, at quam χαρακτηριςικῶς! disputandi fervore absumti, luculentissimum Cap. IV et V testimonium; habes ibidem, et in qua non ejus declamatione? alti spiritus, masculae, floridae, amplae, at tersae simul concinnaeque eloquentiae indubitata vestigia. Sed ab alia inprimis parte hic nobis considerandus ille est. Longissime quidem animi indole a Jobo diversum, sed, ut hic, sibi constantem, constantem enimvero in supercilioso mentis tumore, in rigidae objurgationis, suspicionisque studio, amicum Themanitam offendimus. Quam nunquam horum huic affingendorum oblitus est Jobeïdis auctor! Vide enim, quantum duritiae et acerbitatis jam ipsi illi, quod pii sensus ergo collaudabam, alloquio admisceat, Cap. IV: 1, 5, 7—11. Cap. V: 3—8, et per omnes deinceps sermones, altius gradatim exsurgente, ut fieri solet, inclementia et asperitate, diffundat, uti v. c. Cap. XV: 16, et XXII: 5, 12. Impietatis labem, ultimo hoc commate sine ambagibus Jobo illatam, invidiosa omnino conjectura tecte huic, sub ipso orationum initio adspergere

voluisse videtur Cap. IV: 6 ut et Cap. XV. fere toto; quin oblique illum calumniando, miserique verba in deteriorem distorquendo sensum saepe intentus, jam Cap. IV: 17 Jobum, qui diem suum natalem divis devoverit, majestatis divinae crimine insimulat. Iniquius etiam hoc est, quod aestumatissimi Viri aerumnae amico, qui ipsius res non rite perspectas habet, protinus castigationum, a Deo ob perpetratum aliquod facinus inflictarum loco veniant, Cap. V: 17; in qua sua mente declaranda deinceps multus est frigidus censor. Scilicet ambitioso hunc sui amore ac fastu ubique cernas repletum, dilucidasque hujus indolis deprehendimus notas Cap. V: 3, 8, ubi *το* אֲנִי cum singulari emphasi prolatum est, nec non comm. 27; porro Cap. XV: 9, 11, 17. Denique, sicut gravi quodam animi ad obloquendum proni aestu fervet in scenam procedens Eliphazus Cap. IV: 2[b]; ita egregie his animi motibus, quae sequentibus Capp., V, XV, XXII, pronunciat, respondere neminem facile latebit.

b. Venuste equidem excelsae huic personae dramaticae adjungitur longe ingenii animique dotibus inferior, Sophorum autem ultimo multis praestabilior modis *Bildadus.* Etenim, quod ad vim ingenii attinet, adverte modo, quantopere in ternis, quae huic tribuuntur, loquendi vicibus, ceu minoris luminis sidus juxta radiantem solis tanquam fulgore sapientis Uzaei et Themanitici eloquentiam, compareat. Quodsi enim hos illos exceperis sermo-

nis flores eumque stili cultum, quali vix ulla tanti carminis pars recte carere potuerit, desiderabis ceterum, de industria quippe sic ordinante Poëta, praedivitem Eliphazi, nedum Jobi, venam; neque opimas exquisiti saporis poëtici tibi appositas gratulabere dapes, nisi quas ab inclytis doctrinae affluentia prisci aevi sapientibus honeste mendicaverat propria penu destitutus Orator. Quos scilicet ad ornatum tantummodo pondusque dictis suis conciliandum nonnunquam adeunt priores illi, ad hos sub ipso primi sermonis sui exordio, quasi jam fere exhaustus esset mentis thesaurus, se recipit ille, Cap. VIII: 8. Cui adumbrandae inopiae et jejunitati inservit etiam retis, in quod prolapsurus esset Jobus, subtilius quam elegantius exporrecta imago, Cap. XVIII: 8—11. Scilicet, aliter hicce talem in usus suos convertisset similitudinem! Et belle adeo, tanquam hujus statim granditate devictus figuratur Bildadus, cum de suo nihil magnopere addens, decantatas repetat Eliphazi (Cap. IV et XV) cantilenas Cap. XXV. — Habita autem animi, quo ergo Jobum fuerit, ratione, ab hac parte nihil utique Eliphazo concedit, sed, si pote, calumnia et suspicione Cap. VIII: 3, 4, sinistra allusione c. 20—22, Cap. XVIII, 13, iniqua verborum interpretatione c. 4, omninoque vanae jactantiae, acerbitatis, inclementiae vitiis illum vincit hic secundi ordinis, si Diis placet, *consolator*.

c. Cui si jam ultimi *Zophari* apponas imaginem, elegans sanequam in oculos incurret personarum gradatio, nec non pulcra earundem diversi-

tas. Fortes cumprimis signandae Sophi hujus Naämathensis indoli duxit Poëta lineas. A deteriori parte in omnibus major, a potiori minor antecessoribus comparet. En quantam impudentiam sententiarumque ex tripode, quod dicitur, prolatarum temeritatem! Quanta inest vesanae in innocuum simultatis, quanta et rabidi furoris, bilis amarulentae odiique significatio in binis illis haud adeo magni ambitus orationibus, Capp. XI, XX, ultra quas rixandi pruritui indulgere non licuit obrepto post sublimia Jobi Cap. XXVI° effata subita vertigine capiti! Audiamus eum, quo melius de insigni Poëtae arte feratur judicium, qui ad aggravandam rerum scenam hujusmodi etiam obtrectatorem, nil nisi virus spumantem, quem quoad hoc perfectum debeas absolutumque vocare, informavit. O utinam! inquit ψευδώνυμος iste amicus, cui omnia Jobi suspecta sunt et perosa, Cap. XI: 2—4, o si poenae tibi tuae absconditas rationes ejusdemque prae culpae magnitudine exiguitatem revelaret Deus, c. 5, 6; tunc, pergit, inverecunde adeo de regiminis divini mysteriis proloqui audes? c. 7—10. Certe occultum, quod tamen Ipsum non latet, tibi crimen adhaeret, c. 11; utinam resipisceres, c. 12, Eum supplex adires et a facinoribus desisteres tuis, c. 14; tum foeda tua redintegraretur facies, c. 15! At quantam inprimis Cap. XX prodit rabiem, non amplius dissimulatam! Furor me meus, — ita fari non erubescit, — et ira impellit; te mea convincet sapientia, prosternet te totumque confundet, c. 2, 3. Impotenter ovantibus impro-

bis, (ad Jobi minas Cap. XIX: 29 alludit), subita ruina parata est, Cap. XX: 5 et sqq. Coelum et terra (tute ipse, vult dicere, id expertus es,) ad tales omnibus privandos, nutu Numinis irati, conspirant. Sed jam insano monitore cum duumviris ei in hoc paribus, valere jusso, ad aliam transimus personam, in qua necopinato rerum scenae inmiscenda, atque luculentis admodum notis distinguenda, quantam ingenii vim Poëta explicuerit, uti in superioribus declaratum est, ita hic paulo distinctius tradere operae pretium erit.

d. Elihuüs igitur ille Buzita, qui qua machinatione consilioque poëtico in hoc sapientum coetu suas loquendi vices sortitus sit, ex ante disputatis perspicitur, minorem annis virum, qualis fuisse perhibetur Cap. XXXII: 4, 6, se ubivis et in omnibus praestat. Itaque hanc aetatis rationem quam sollicite Auctor ob oculos habuerit germanisque adumbrarit coloribus, ante omnia hic monendum videtur. Universum inprimis Caput XXXII in hunc finem legisse juvabit, in quo luxuriosam Oratoris, sibi sermocinanti placentis, in dicendo profusionem, et juxta tamen nonnullam ob temeraria ausa verecundiam fideliter et ad vivum expressam habebis. Hinc et causae Jobéae cardine mirabiliter vertendo ipsum semet excruciare, ad fundum vero rei, ut solet ista aetas, non penetrare, neque sedato plerumque eam animo indagare doleas. Enimvero *φιλαυτίας* plenus, sententiarumque composite a se prolatarum varie flexis ambagibus delectatus, miserabilis Jobi non satis animadvertit ra-

tiones, multisque hujus dictis rectam tribuere negligit mentem et consilium. Sensim majoribus implicitus difficultatibus, juvenili cum levitate semet hinc extricare, suamque ἀπορίαν quadam profundioris scientiae specie linguaeque volubilitate obvelare satagit. Quin illum, qui reverendos aetate et sapientiae fama quatuorviros invicta se verborum vi erroris convicturum proclamat, tandem ipsum disputandi ardore doctrinaeque penuria lapsum, ne suae quidem amplius menti satis dilucide explicandae parem fuisse, innuere videtur Poëta, Cap. XXXVI. Atqui vero haec et plura ejusmodi, ipsis in locis Cap. XXXII—XXXVII retractet quisquis ingenuo graphicam ingeniorum picturam contemplandi fertur desiderio. Cui equidem cetera etiam in hoc Elihuo insignia serio perpendenda commendem: suaviorem videlicet quandam leniterque fluentem eloquentiam, tum animi mobilitatem, et alibi et nominatim Cap. XXXVII sub exortam tempestatem, significanter expressam; in quibus horumque similibus praeclara illa elucet Hebraei vatis industria, qua et pulcram atque apprime sibi constantem hujus ultimi Sapientis efformavit imaginem, et vero etiam illi ab omnibus, quae praecesserant, signate distinguendae egregiam, favente coelesti Musa, navavit operam.

e. Denique augusto suo et totius universi *Domino* expingendo, dicam? an leviter, quoad potuit, adumbrando, quales adhibuerit colores, utinam mihi hic pro rei dignitate enarrare liceret! Enimvero satius duco, quod et sapienti sat fore opinor,

ut solemnem illam digito tantum indicem majestatem, quae in omnibus, Capp. XXXVIII—XLI exaratis refulget sermonibus, characteremque adeo, supremo Numini inditum totum quantum divinum esse pronunciem. Quod του θείου κριτήριον si cui ulterius persequi vacet, praeter ea, quae de magnifico Dei cum Jobo agendi instituto superius in genere monita sunt, totum conferatur orationum Illi attributarum argumentum; cui vehementer fallar, si non luculentissima ubicunque impressa reperias imperio cuncta suo prementis Domini indicia, qui nemini operum suorum reddat rationes. Est quippe universa hujus allocutionis divinae ratio ita comparata, ut tum sublimi ironia homunculi de terra nati leniter castigetur audacia, tum quadam immensi, improvisi et abrupti specie, summum, cujus arbitratui omnia subjecta sint, ob oculos ponat Moderatorem ac Principem. — Haec igitur cum ita sint, quemadmodum sua quemque docebit his Capitibus collata industria, quidni Poëtam mirifice pertexuisse praedicemus, quam haud sine Numine exorsus erat, tam divinitatis Ipsi propriae, quam Virorum scenae inductorum tabellam?

SECTIO II.

DE CARMINIS DICTIONE, RHYTHMO CET.

Quare, quam ultimo loco de Jobeïdis genio institueramus, disputatione eatenus absoluta, ut cum universe poëticum Carminis characterem, tum illustria quaedam imaginationis et ingenii specimina, affectibusque plenissimum sermonum argumentum, praeclara denique ipsorum Oratorum lineamenta, ad germanam pulcri sublimisque normam, quantum in nobis fuit, exegerimus; nihil nobis restat aliud, nisi ut breviore altera hujus Capitis Sectione nonnullas, quae ad *externam* magis Poëmatis faciem *formamque* pertinent, lustremus elegantias, quo luculentior exsistat, quam de universa ejus excellentia et perfectione mente informemus, notio. Jam autem, quae hic in censum venire putem, haec fere sunt, § 1 paulo uberius indicata rerum capita: primo, orationis et stili, tum rhythmi, denique naevorum quorundam et defectuum, qui perhibentur, aesthetica in Jobeïde ratio. Quae omnia licet non aequi ac praecedentia, in poësi videantur esse momenti, quantum vel sic tamen ad augendos sublimes sensus, ex Carminis lectione enatos, faciant, singulorum horum leporum ac venerum contemplatione nobis identidem fiet clarissimum.

§ 6.

Quanta enim, ut ad primam ex mox recensitis

hujus Operis poëtici dotibus continuo me convertam, vi polleat *dicendi modus*, ad exornandas rerum, quas nobis repraesentant poëtae, scenas, non longa profecto eget demonstratione. Apud omnes enim id in confesso esse putarim, tum cuique scriptioni, tum inprimis poësi non exiguam inde decoris et venustatis commendationem accedere. Scilicet si in rebus gravibus gravem ac solemnem verborum compositionem, si in suavibus tenerisque mollem, in omnibus tandem, quae effingat vates, elegantem quandam animadvertas signi cum re signata harmoniam; annon majoris idcirco aestimes poëma ejusmodi, quippe cujus externus habitus sic grate rerum respondeat dignitati atque excellentiae? Quid autem et quale sit illud pulcrum, quod in optimis quibusque Apollinis sacerdotibus decantatum, in Jobeïde quoque nostra summopere veneramur, jam nunc in sequentibus paginis explicandum nobis erit. Enimvero quam Graecis Romanisque Musis contigisse videmus fortunam; quin imo, quae in sacro etiam Heliconte odis Davidicis grandibusque Jesaiae ac ceterorum Prophetarum declamationibus abhinc aliquot seculis impensa est industria, ut magnifica, qua utuntur, dictio luci exponatur et collaudetur: hanc nostro parcius tributam videre mihi videor Poëtae. Scilicet ad profana illa, quae dicuntur, monumenta poëtica promiscue quisquis advolavit, cui bonarum literarum studia curae cordique erant; haec autem, quae nominabam, Hebraïca, in doctrinae cultusque sacri usum excutere et nocturna diurnaque manu versare

non destiterunt religionis aeque ac pulcri sensu imbuti homines. Carmen vero Jobéum, abstrusum, a Mosaismo aeque ac Euangelica institutione remotius, satis beatum se praedicare debuit, si in eruendis altis, vexatis, lubricis ipsius sententiis desudare, si in universo denique argumento et singulis quibusdam locis rerum gravitatem ornatumque explicare placuerit viro cuidam eleganti ac docto. Sic igitur propter materiae molem, notandi stili poëtici exiguam ut plurimum rationem habuerunt praeclari quamvis superiorum seculorum Interpretes. In eo autem jam celebranda est nostrorum hominum felicitas, quod gigantum illorum humeris gestati, nunc quidem distinctius videre, atque omnia perscrutandi industriam multo latius protendere valeant. Unde itaque ad pulcrum praeclarumque elocutionis in Jobeïde modum animo degustandum, jam via redditur paratior. Enimvero tam largam felix doctumque Poëtae ingenium, nec non gnaviter a recentissimis Interpretibus hisce elegantiis dicatum lucubrationis studium, hic praebent commentandi materiam, ut quaevis fere Carminis pagina sat diu nos morari posse videatur. Quare ne in hanc messem, quae longe amplissima sibi deposceret horrea, falcem imprudentius immittamus, spicilegium tantum observationum, ex quo de reliqua libri hoc in genere excellentia judicetur, expromere nobis est constitutum. Quem in finem divitem agrum, ad quem continuo Poëta has legere aristas studiosum invitat, lento obambulemus pede, in primisque adeo Jobi ac Eliphazi (Cap. III—V) sermonibus,

quos ante non nisi leviter plerumque nos tetigisse meminimus, jam pressius eloquentiae poëticae vim vigoremque indagemus.

Statim ut rhythmos Jobéos a primo limine salutamus (Cap. III: 3), in concisam incidimus dicendi formam, quae πάθος loquentis graphice admodum pingit, hoc modo latine supplendam:

Pereat dies, *quo* natus sum,

Et nox, *quae* dixit: mas conceptus est.

De diei quidem et noctis interitu, grandi imagine, quae et sequentia percurrit, ubi talia de iis pronunciantur, quae in res inanimatas non cadunt, hic dicere nihil attinet, cum ad prosopopoeiae figuram, alibi latius adumbrandam, proprie pertineat. Quod idem valet de mirifica illa noctis *loquentis* effigie: הַלַּיְלָה אָמַר הֹרָה גָבֶר. Hoc loco autem adverte, quam venusto lusu *conceptus* aeque ac *nativitatis* mentionem injecerit Poëta; quam meditate illum nocti assignarit; quam apte itidem id quod nemo mortalium renunciare poterat, ipsi tanquam generationis testi praedicandum committat. Aeque poëticum illud, quod de Deo, diem, jam in meras, si Jobo ex voto cecidisset, tenebras conversum, non *quaeritante* desuper (אַל יִדְרְשֵׁהוּ מִמָּעַל) pronunciat idem, c. 4, qua scilicet Omnipotentis tanquam inquisitione, proh dolor! protinus evanuerit חֹשֶׁךְ; et ut ad verbum illud: יְהִי אוֹר (Gen. I: 3), sic natali illius diei affulserit aurora

(תְּפַע עָלָיו נְהָרָה). — En quantus porro in singulis verbis delectus, copia, gravitas! Diem cogita in ipsas tenebras transmutatum, pro: *tenebricosissimum;* audi studiose variata obscuritatis istius brevissimo in spatio nomina, חֹשֶׁךְ, צַלְמָוֶת, עֲנָנָה, verosimiliter et כִּמְרִירֵי יוֹם c. 4, nec non אֹפֶל c. 6. Tum ad grave sonans illud par *ἅπαξ λεγομένων* sibi oppositorum, נְהָרָה *luminis, diluculi* c. 4, et עֲנָנָה *densae et atrae nebulae* c. 5, attende. Neque te fugiat solemnis vis *vindicandi*, quae in phrasi יִגְאָלֻהוּ חֹשֶׁךְ וְצַלְמָוֶת inest; *haec diem totum quantum suum faciant*, adeo ut nullae amplius in eo lucis, reginae alioquin suae, partes sint. Denique nubem illam *inhabitantem*, continue et firmiter *incubantem* diei (תִּשְׁכָּן־עָלָיו), quod plus dicit poëtico stilo, quam simplex *abscondere, tegere*, apud animum reputa; ut et qui eam excipiunt, *atros vapores*, (si quidem כִּמְרִירֵי יוֹם pro lugubribus venti notissimi *Samumi* nebulis sumimus), quibus horrendo terrore afficiatur ille dies. Habes jam parvo trium priorum versiculorum ambitu, in quo summam orationis elegantiam sublimitatemque admirere. Et in noctis etiam, quam attigerat, aliorumque, ad quae c. 6 expingenda procedit Poëta, lineamentis, per totum Caput plenum copiae poëticae cornu effundit, ita quidem, ut ea, qua institimus, via eum amplius comitari nequeamus. Notissima igitur Ca-

pite, quod multi, quos inter ipse ego, loco supra laudato, commentati sunt, tironum studiis commendato, de prima Eliphazi responsione nonnulla, quae huc pertinent, annectere juvat.

Abrupta ergo, at eo ipso fortissima, Themanita ille orditur invectione, quae quidem latine linguave aliqua hodierna totidem reddi nequit verbis. הֲנִסָּה, inquit, דָבָר אֵלֶיךָ תִּלְאֶה *si quis tentet te alloqui, aegre feres*, וַעְצֹר בְּמִלִּין מִי יוּכָל *Attamen cohibere sermones quis valeat?* In quibus gratas etiam animadvertas vices, quibus τὸ דָּבָר excipitur poëtico מִלִּין. Sed hoc in transitu. Majoris momenti est metaphorae, c. 3, 4, aeque suavis ac aptae, notasse figuram:

Remissas manus confirmasti,
Impingentem erexerunt sermones tui,
Et incurvata corroborasti genua.

Quibus quidem verbis si allegoriam, ex arte agonistica veterum desumtam, quam iis subesse putabat Rhenferdus (1), merito abjudicamus, inhaeret tamen ipsis pulcra a rebus naturalibus translatio; jucunda itidem est vocum, *solidum valorem* designantium, תְּחַזֵּק, יְקִימוּן, תְּאַמֵּץ, abundantia. Grata rursus c. 5 inest brevitas pondusque tum in תָּבוֹא אֵלֶיךָ *at te ventum est, pertingit* (malum), תִּגַּע עָדֶיךָ

---

(1) Vid. Rosenm. in Scholl. ad h. l. p. 126.

invadit te, nempe *infortunium*; tum in verbis תלאה *animum despondes*, (quod c. 2. erat *aegre ferre*) et תבהל *perturbaris*, mentis scilicet impotentia et desperatione. Quid autem de vexatissimo c. 6 dicam? An quidem longe a veri tramite recesserim, si in mira vocum compage subtilem deperditae hodienum artis metricae elegantiam agnoscam? Certe praeclarum et ad paralleliae leges apprime compositum fundunt sensum, hac admissa interpretatione:

Nonne reverentia tua, (nimirum Numinis, ut concise iterum loquitur facundus Orator), spes tua est?

Vitaeque integritas tua fiducia? —

Etiamsi in c. 7 exquisitum *τοῦ* זכר ex Arabismo usum pro *memorando*, *praedicando*, cum Rosenmülero post A. Schultensium, adoptare detrectem; scitam tamen non abs re erit meminisse hujus observationem de provocatione ad nominatim designandum talem, de quo agitur, quae vocabulis מי הוא inesse videtur, subitamque simul ruinam in verbis איפה ישרים נכחדו (aeque ac Cap. XXII: 20)

Recordare, quaeso, ecquis tandem ille sit innocens qui perierit,

Et ubinam probi deleti sunt?

Praeclara hunc versiculum excipit imago, ab agricultura desumta c. 8, *βραχυλογίᾳ* non minus insignis:

Quemadmodum vidi (ita se res habet), qui arant nequitiam,
Et seminant molestiam, eam (fructum ejus, poenam) metunt.

» Scelus patraturi initio cogitant et omnia parant, quae ad illud patrandum pertinent, haec est *aratio;* inde *seminant,* i. e. aggrediuntur illud patrare; sed dicit, eos tandem *metere,* i. e. injuriae, quam aliis facere volebant, aut fecerant, fructum percipere, dum illis id rependitur, quod aliis fecerant, et ipsi tandem a Deo puniuntur ac perduntur." Ita Rosenmüller. Cujus quidem conjecturae, sequenti c. 9 in eadem imagine persistere Poëtam, accedere nequeo; at vero in מִנִּשְׁמַת אֱלוֹהַּ et מֵרוּחַ אַפּוֹ, quibus consumantur penitus et dispereant improbi, fulgentia sermonis poëtici lumina veneror. — Sed augustior nobis, c. 10, 11, scena panditur. En homines nefarios et feroces leoni, silvarum tyranno, assimilatos. At quam proprie, quam venuste!

Fremitus leonis et vox horride rugientis . . . .
Dentesque leunculorum voracium eliduntur.
Leo masculus praedae inopia perit,
Et leaenae catuli discerpuntur.

Eximie postrema haec procedere quivis sentit. Dum praedator leo victus penuria interiit, tenelli catuli ipsi aliarum ferarum esca sint necesse est (1). Jam

(1) פֵּרֵד enim, *separavit*, *dispersit*, ut Arabum فَرَدَ, *violentae divulsionis* notionem induere potest.

quantum tibi sistit Poëta spectaculum! Effractos vides adultiorum leunculorum molares, solidissimos illos, juxta rerum naturalium peritos. Ipsi לַיִשׁ, strenuo masculae aetatis nemorum vastatori mortifera tribuitur inedia. Atqui imaginem cum re quoque, quam adumbrat, compone, quo luculentius appareat ejus concinnitas. Sic igitur, ut animantium quandoque ferocissimae, peribit improbus populator, in suam secum ruinam trahens universam, quam rapina ditarat, familiam. Fervidissimo autem singula haec enunciantur stilo, quem observa in illo נִתָּעוּ *fracti, contriti sunt*, quod *mugitui minaci* aeque ac *dentibus* adjunctum, anacoluthi, quod dicitur, speciem infert, affectum loquentis egregie testantem. Cui si gratam in dicendo copiam tribuam, id tuo te calculo approbaturum putem, quum ad varias leonis in brevissima tabula denominationes, אַרְיֵה, שַׁחַל, כְּפִיר, לַיִשׁ, לָבִיא, mentis cogitatione recurras. Fortassis vero limatum ac praecisum, tersum castumque desideras eloquium? At enim vero in illis, quae exhibui, silvarum domini appellationibus perpendito, quam juxta proprietatem quaeque suam usurpatae sint; quin totam lustrando notionum in binis hisce commatibus seriem, nihil ei inesse, quod nimium sit languidumve, comperies. In sequentibus autem adsurgere adeo dictionem poëticam, non abnuet, quisquis *nocturnae visionis* commate 12—intenta mente speculatus fuerit descriptionem. Cogitemus enim modo graphicum illud

יְגֻנַּב דָּבָר, exquisitum שֵׁמֶץ c. 12, porro שְׂעִפִּים
מֵחֶזְיֹנוֹת לָיְלָה et תַּרְדֵּמָה c. 13. פַּחַד קְרָאַנִי וּרְעָדָה
...... Sed totus locus inspiciendus est. Quare valere jusso universo hoc Eliphazi sermone, per amoena tandem universae Jobeïdis latifundia libero tantisper exspatiemur pede, quo ad limpidas, quae ea pervadunt, quarumvis elegantiarum scatebras honestam percipiendi pulcri ac magnifici sitim restinguamus. Quidni autem monumentum poëticum, egregia ejusmodi dictione insigne, duplo majore etiam complecteremur amore, qui venusta scriptorum forma, veluti veste ac facie, perquam delectamur homines?

Itaque age, jam nonnullos hujus generis flosculos ex nitidissimo undique Nostri horto decerpamus. Sic mox Cap. VI: 7 (1) in מֵאֲנָה לִנְגּוֹעַ נַפְשִׁי, nempe בָּם, notanda venit ellipsium, ex affectu repetendarum, quarum affatim habet hic liber, gravis quaedam species. Scilicet, nauseam, quam Eliphazi verba, insulsis cibis c. 6 comparata, misere afflicto crearant, hic illi pungente breviloquentia hoc modo significat. In מַה־יּוֹכִיחַ הוֹכֵחַ מִכֶּם c. 25 jucundum semper verborum lusum cerno, sive pri-

(1) Qui in hoc specimine contextum Hebraeum cum Rosenmülleri et Umbreiti explicationibus contulerit, hunc interpretationis, quam secuti sumus, Palmianae concinnitatem, vel me non monente, sponte animadversurum esse confido; quod et in sequentibus saepe, ni fallor, locum habebit.

us יוֹכִיחַ, *demonstrandi, evincendi*, posterius הוֹכַח, *increpandi, conviciandi* potestate, in hunc sensum sumas: *quid arguit increpatio vestra?* Seu, quod praeferrem fere, illi fortiorem, huic leniorem significatum ab Auctore subjectum statuas: *quam objurgatoria est reprehensio vestra!* In deliciis enim habet, apposite notante A. Schultensio, stilus Orientalis, ut diversae significationes alicujus verbi unam in sententiam conveniant. Cap. VII: 7 et 8 prima vice subitam audis ad Deum apostrophen, de qua, pluries deinceps in lamentis Jobéis usurpata, tanquam insigni vividioris stili nota atque ornamento, semel hic monuisse sufficiat. Idem de anthropopathica locutione:

Oculi Tui in me intenti erunt, sed vivere desiero, quae laudato c. 8 et saepissime alibi occurrit, tenendum est. מָאַסְתִּי c. 16 dicit miserrimus Jobus. Quid autem? Dictumne forte putemus absolute in hunc sensum: *cuncta plane aversor, taedet me omnium?* Certe fortissimam habebimus exclamationem, germanum desperabundi animi indicium; posses tamen etiam, mihi saltem hoc facilius videtur, ad מֵעַצְמוֹתָי c. 15 referendo, vertere: »*repudio illa ossa mea*, non tenaciter adhaereo iis, quippe non perpetuo vivam" cet.; qui quidem adspectus non minus grave dictioni pathos inferret. — Elegans ejusmodi acumen, quod mox in verborum *πολύσημων* usu attigimus, recurrere videtur Cap. IX: 2 in vocabulo צְדִיק, quo scilicet in Jobi, cau-

sam suam defendentis usum scite captatur haec, quam vox admittit, ambiguitas: »Qui homo, si male se a Deo habitum putet, jus suum coram Ipso vindicet?" Vel: »quomodo tandem, pius licet, plane insons ab Ipso censeretur?" Conferenda omnino est Cap. III[i] § 3, et V. D. Palm ad hoc et seq. comma. — Personarum, quas grammatici dicunt, primae, secundae, tertiae vices rapidissimae quantam habeant vim ad delineandum affectus praegrandis impetum, in vulgus notum est, neque opportunum earum in hoc Carmine usum exemplorum copia asserere necesse erit. Egregium, si quod aliud, ex Cap. X specimen produximus § 4, p. 143, cui, instar omnium, paulo diversi generis par hic adjungemus, quo dives Poëtae in hisce stili elegantiis penus magis etiam eluceat; alterum Cap. XIII: 28, ubi, post insolentia haecce verba in Deum emissa:

Plantis pedum meorum תִּתְחַקֶּה *insculpis, notasve infligis,*

ad tertiam personam emphatice transit Jobus:

וְהוּא *et ipse* tamquam putredo absumitur,

dicere vult: עַל־שָׁרְשֵׁי רַגְלַי אֲשֶׁר אֲבַלֶּה *pedibus meis, qui consumor.* Alterum mox Cap. XIV: 3 sequitur exemplum:

Et tamen in hunc (brevis et aerumnosae vitae hominem, conf. c. 1, 2) oculos habes apertos,
Meque in judicium tuum adducis?

»Celerrimus hic miseri ab universi generis humani sorte ad suam transitus, gravis est et poëticus, adeo-

que lectionis אַתִּי in אִתִּי mutatio minime probanda."

V. D. Palm.

Missis locutionibus, sale poëtico adspersis, ironiaque acri pungentibus, qualis est Jobi Cap. XII: 2, vel et dictionibus miris, elatis, quasque nos *κατ' ἐξοχὴν Orientales* vulgo nuncupamus, cujusmodi est e. c. דַעַת רוּחַ Cap. XV: 2, et *euro pectus replere* ibid., utpote quae ad peculiarem de Carminis phraseologia tractatum magis pertinent; — jam in *ἀποσιώπησεως*, illustris apud artis rhetoricae magistros figurae, exemplum ea citare juvat, quae ejusdem Capitis c. 13 Jobo regerit Eliphazus:

וְהוֹצֵאתָ מִפִּיךָ מִלִּין,

Verba scilicet non *hujuscemodi*, quod languidius, nec אֶל־אֵל, quod paulo coactius videtur, sed, per elegantem reticentiam, verba eo malitiae et insolentiae loco habenda, ut qualia sint, eloqui erubescat Orator. Quodsi haec ita accipere non repugnes, forsitan et, contra expressam licet A. Schultensii, quam Umbreitus comprobavit, sententiam, homine נִתְעָב וְנֶאֱלָח c. 16, Jobi speciatim improbitatem notari concedas, quo tecte, juxta figuram laudatam, atque adeo gravissime significetur: qualis tu es; ut plena hinc exsurgat sententia: Coelum Deo purum non videtur,

Nedum tute abominandus et spurcus,

Qui bibis, veluti aquam, iniquitatem.

Certe, si hoc illudve amplecteris, pulcrum sertis, quibus Poëtae caput redimiri par est, flosculum lu-

crebere. — Haud longo post intervallo, nempe Cap. XVI : 7, alia iterum facie ejusmodi redire videmus stili elegantiam. Loquentis affectus Dei nomen reticere jubet; quid? quod trinas hic uno in versiculo advertere licet poëticae dictionis dotes; ad venustam enim aposiopesin accedit, quod et derepente ab argumento commatum 2—6 ad alia transiliat, et vero etiam a persona tertia, qua in priore hemistichio usus fuerat, subito in secundam migret Jobus, hisce verbis:

Eheu! jam ad incitas me redegit;
Tu desolasti omnem coetum meum!

Et nos quoque hic jam perniciore saltu ad ultima libri Capita pedem promoveamus. Cum enim omnia persequi infinitum sit, ex sola Dei oratione, cui non aequa ac ceteris ante cura impensa est, nonnulla huc pertinentia excerpere, non abs re fuerit. Atque id eo minus quidem, quo longius abest, ut quod de quibusdam classicorum etiam Auctorum carminibus non immerito dicitur: *exitus alget*, hoc ullo modo ad declamationes poëticas, Jobeïde contentas, transferri debeat. Inspiciamus enim modo Caput XXXVIII; quam ibi elata omnia, eademque nativa, pungentia, concinna; quam floret et fervet stilus, sublimique, qui Deum deceat, fertur cothurno! Annon in ipso jam exordio:

Quis iste est, qui obscurat consilium verbis insipientibus?

fragore, ut cum Umbreito loquar, fulmineo intonans, eloquentiae coelestis effatum aures perstringit? מִי זֶה, quale, inquam, exordium, quod supremum

sapit mundi Rectorem, absolute praeterea enunciatum, cum tamen Jobum (coll. Cap. XLII: 3) potissimum petat. עֵצָה itidem reputa, simpliciter pro עֲצָתִי positum; at quantum in eo est granditatis! Tum הַחְשִׁיךְ עֵצָה »sapientissimum illud at obscurum Providentiae divinae consilium obscurius adhuc reddere!" Et quidem, ut Jobus fecisse arguitur, בְמִלִּין בְּלִי־דָעַת, quam magnifice idemque aptissime dictum! Sed haec quidem hactenus, ut de reliquis etiam verbulo quaedam dicamus. Incredibili igitur majestatis sensu ferit animum identidem repetita expostulans Dei interrogatio: Ubinam eras, quum Ego . . . .

Quis terrae dimensiones constituit? cet.,

nec non ironice dicta ejusmodi, quale hoc c. 5: *Quippe tu scis!* et c. 21:

Sane hoc nosti; tunc enim jam natus eras,
Et ingens est dierum tuorum numerus!

Enimvero digito tantum hic commonstrasse sufficiat illustres *terrae*, aedificii instar a Deo conditae (בְּיָסְדִי־אָרֶץ) descriptiones c. 5, 6, quales מְמַדֶּיהָ, קָו, אֲדָנֶיהָ, אֶבֶן פִּנָּתָהּ; ut et *stellarum matutinarum*, fervente hoc opere, ovatum, *divorumque* omnium jubila, c. 7. Atqui age, nunc mecum adstupe prorumpens ex utero mare, quod בִּדְלָתַיִם *ostiis* obsepsit Deus c. 8, cui *nubes* sint *vestimenti*, *caligo fasciarum loco* c. 9; obeas mecum . . . . Sed pedem

retraho; pascamus enim elegantissima mentem prosopopoeia c. 11:

Huc usque venies, imperabam (mari), non ulterius,
Hic componatur fluctuum tuorum elatio!

In quibus quam splendidus sit ille גְּאוֹן גַּלֶּיךָ *impetuosa undarum excandescentia*, monere non opus est. Audiamus porro, praeteritis, pace lectoris *φιλόκαλου*, eximiis versiculis 12—14, quomodo sua improbi luce, juxta c. 15, aurorae ortu priventur; audaci quippe verborum lusu, *nox* ipsorum *dies*, *caligo lumen* est. Animum deinceps advertamus ad stupendos illos אֹצְרוֹת שֶׁלֶג וּבָרָד *nivis thesauros*, *grandinisque promptuaria*, c. 22, quam (*grandinem* scilicet) asservare soleat Numen (at quam excelsum tremendumque dictum!) in tempus צָר inque diem קְרָב וּמִלְחָמָה c. 23. Succedit aenigmatis, cui explicando capax non sit humana imbecillitas, et grandis miraculi grande sonans descriptio c. 24, in הַדֶּרֶךְ יֵחָלֶק אוֹר יָפֵץ קָדִים עֲלֵי־אָרֶץ, quomodo scilicet *mira celeritate se diffundat lumen diurnum, quod Oriens super terram spargit.* Nec minore fulget audacia, quod c. 25 de *nimbis* dicitur, quibus *canales* quasi (תְּעָלָה) in aëre distribuerit Deus; aut de *pluvia* ac *rore* c. 28; de *glacie* et *pruina* c. 29, v. c. in illis: הֲיֵשׁ לַמָּטָר אָב? Aut denique de glaciei vi c. 30, qua כָּאֶבֶן יִתְחַבָּאוּ *tanquam lapi-*

de abdant se aquae, et יִתְלַכָּדוּ *vinciantur*, *constringantur*, parili ratione, qua, uti recte huc contulere interpretes, eleganter habet Ammianus Marcellinus, *amnes gelu vinctos*, Horatius: *Hebrum nivali compede vinctum*, et Franco-Galli, familiari sermone dicentes: *les eaux sont prises*. Ceterum diune reliqui nos morabuntur lepores: religatae Pleiadum מַעֲדַנּוֹת, aut *soluti Orionis funes* c. 31, tum τῶν מַזָּרוֹת, signi nescio cujus coelestis *eductio tempestiva*, *Arcturivi cum filiis directio* c. 32? Referamne *fulgura* c. 36, Jobi, scilicet! *dicto audientia*, *ipsique* arcessenti *acclamantia*: הִנֵּנוּ? An in praeclarum et praeclare in novissima versione Belgica redditum comma 37 (in quo inprimis notentur נִבְלֵי שָׁמַיִם *coeli utres*, quos הִשְׁכִּיב *lente decidere jubeat* Deus, quorumque opera (c. 38) *pulveris glebae in massam fusilem coalescant*) excurram? Atqui egregiorum, quae hodiernum praesto sunt, subsidiorum ope cuncta haec, quae primoribus tantum labiis gustare potuimus, curatius investiget, cui lubet et vacat; equidem Libri Caput XXXVIII hoc commate 38° cum vulgari nostratium versione aptius, quam post additos cum textu Hebraeo, tres alios versiculos, mihi claudere visus, quod reliquum in sequentibus est oraculorum divinorum etiam atque etiam stili elati gravisque amatoribus de meliori nota commendatum velim. Sat enim jam prata, ut ille ait, bibere, longiusque, fateor, quam insti-

tueram, me detinuit haec de dictione poëtica disputatio. Quam igitur amplitudinem jam succinctiore argumenti, quod tractandum instat, disquisitione resarcire allaborabo.

§ 7.

Enimvero rei, quam hac §° lustrandam sumimus, ratio per se adeo, si non flagitat, certe permittit, ut paucioribus lineis ejus pertractatio absolvatur. Universum videlicet Jobeïdis *genus rhythmicum*, vel, ut latius et magis signate rem explicem, *apta membrorum*, quae in illa obtinet, *dimensio* et *parallelia*, quam vocant; haec igitur insignis omnium Carminum Hebraeorum proprietas dici vix potest, quam monumentorum S. interpretibus, quoad interiorem ejus rationem, adhuc recondita sit; quid? quod usque quidem ipsos latituram fore, non vano omine licet augurari. Scilicet omnibus illis prorsus caret doctissima quamvis posteritas, quibus poëticus Hebraeorum numerus rite dijudicari queat. Deperdita penitus est genuina vocum pronunciandarum ratio; interiisse in omne aevum videtur numeri et quantitatis in syllabis, quae in prosodiae arte valet, notitia (1); et post ea, quae mire, sua jam aetate, circa S. poëseos formam et modulationem hallucinatus fuerat magnus Hieronymus (2), numquid vero-

(1) Cf. Lowth, *de S. Poësi Hebraeorum*, p. 47 sqq. ed. Gött.

(2) In *Prologo* enim *ad Jobum* huic Carmini hexametrum heroicum tribuit, Jeremiae threnos Sapphicis, Psalmos vero nonnullos trimetris Jambicis alligat; et sic in reliquis.

similius, nedum verius, in medium protulit praestitus his Musis per multa dein secula cultus? En age, exemplo nobis sit non contemnendi ille ingenii et doctrinae vir, qui immensam his eruendis operam, at inanem illam ex intelligentiorum sententia, insumsit, GREVIUM dico, cujus quidem si amplam de hocce argumento commentationem perlegeris, non poteris non dolere, ipsum quod »nec negari sine temeritate, nec constitui sine multo et difficili labore posse, recte asserit (1) Hebraicorum hymnorum artificium," id minime lucubrationibus suis ejusmodi luce collustrasse, ut aliquatenus laborem suum viris doctis probaverit. Et sane oleum atque operam prorsus perdiderit, qui quae illum fefellit, spem haec ad liquidum perducendi, etiamnunc animo concipiat. Aedificium enim, uti jam, qua erat in his sagacitate, rectissime vidit LOWTHUS (l. l.), exstruet ille, cui fundamentum, in quo nitatur, plane deëst. — Quae cum ita sint, neque ego dubiam et parum fructuosam hanc disputationis aleam subiissem, nisi et instituti ratio mentionem saltem rei in se gravissimae, judiciumque, quid de externo illo Jobeïdis habitu modoque rhythmico habendum sit, flagitare visa fuisset, et vero etiam novissimum viri cujusdam docti in hoc genere conatum, quo nova forte Carmini nostro comparetur elegantia, peculiarem jure suo sibi deposcere cen-

(1) Verba leguntur in *Tractatu de metris Hebraeorum*, p. 92, quem subjunxit Operi, cui tit.: *Ultima Capita libri Jobi* cet. Pars II, 1791.

suissem commemorationem. — Nimirum in Diario erudito (1) nuper orbis literati oculos in hanc Poëseos Hebraïcae proprietatem denuo defixit Kösterus, Lingg. Orient. Prof. Kiloniensis, quod non in singulis tantum commatum membris sive hemistichiis, sed in totis adeo versiculis obtineat solerter compositus quidam parallelismus et elegans omnino stropharum ratio; qua quidem egregia dote, undique congestis ex V. Codice exemplis declarata et illustrata, nec Jobeïdis ad hanc normam exigendae periculum facere neglexit Vir acutissimus: cujus igitur de hac disputationem jam latine conversam exhibeamus, atque id eo quidem magis, quo citius Ephemeridum innumeri hac aetate libelli ex plerorumque manibus elabuntur, nunquam fere illuc redituri. »Ipsum," inquit (Commentationis suae §° 8) »Poëmatis initium, erumpens scilicet ex Jobi ore querimonia et Eliphazi ad illam responsio, strophica ratione est compositum." Quod ostensurus, duo priora libri Capita rhythmica excitat, in eaque ita, consilio suo convenienter, commentatur, ut principio quidem Jobi declamationem in trinas dispescat partes majores, (quas ad capiendam facilius auctoris mentem in inferiore nostrae paginae margine exarabimus, (2)) et de tota orationis forma poëtica

(1) *Theol. Studien und Kritiken, herausgeg. v.* Ullmann *u.* Umbreit, 1831, ubi Particulae I p. 76 sqq., exstat tractatus, cui inscribitur: Köster, *Prof. in Kiel, die Strophen, oder der Parallelismus der Verse der hebr. Poesie.*

(2) Et quidem ad verbum itidem latine redditas, quo

his verbis sententiam suam explicet: »Sectiones quidem has majores sic recte constitutas esse res ipsa

---

sexcentis hujus Capitis versionibus non inelegans una addatur, qua cum Rosenmülleri, Palmii, Umbreiti, aliorum, collata, utilem aeque ac jucundam habeas potiora eligendi opportunitatem. Sic igitur se habet teutonica elegiae Jobeae versio, civitate Romana donata:

Jobi Caput III.

3. Redigatur ad nihilum dies, quo mihi nasci constitutum erat,
Et nox, in qua marem conceptum esse inquiebant!
4. Dies ille sit caligo!
Deus in excelsis non requirat illum!
Nullum ei adfulgeat jubar!
5. Inquinent eum caligo et umbra mortis,
Incubet ei nubilum;
Exterreat eum quidquid dies reddit amaros!
6. Istam noctem invadat caligo:
Ne anni diebus se adjungat,
In mensium numerum ne veniat!
7. En, nox illa sit solitaria!
Ne penetret eam ovatus!
8. Diris devoveant eam diei exsecratores,
Prompti ad excitandum Leviathanum.
9. Obtenebrentur stellae crepusculi sui,
Quum lumen praestolatur, non veniat:
Aurorae ne cernat palpebras,
10. Quoniam uteri materni mihi non reclusit ostium.

---

11. Quare non mortuus sum, quum ex utero prodibam?
Cur non ex matris gremio prodiens exspiravi?
12. Quare me receperunt genua
Et mammae, quas sugerem?
13. Sic enim nunc procumberem et quiescerem;
Dormirem et quiete fruerer:

docet. Quodsi igitur in universo loci complexu non rigide exactam locum habere videas partium aequalitatem," (quam in aliis quibusdam Carminibus Hebraeis observabat sagacissimus auctor), »quidni in eo ipso deprehendas subtile Poëtae artificium? Scilicet, qui ita ut Jobus, affligitur, nequaquam juste dimensis strophis lugere potest. E re nata gemitus

---

14. Cum regibus et terrae consiliariis,
Qui sibi columnas aedificant;
15. Vel cum principibus, qui aurum possident,
Argento suas replent domos.
16. Aut velut absconditus abortus non exstitissem,
Ut pueri, qui lumen non adspexerunt.
17. Ibi terrere desinunt damnati,
Ibique quiescunt, quorum vis absumta est.
18. Omnes vincti conquiescunt,
Non audiunt exactoris vocem.
19. Ibi parvus est quemadmodum magnus,
Et servus liber est a domino suo.

---

20. Quare dedit (Deus) sollicitis lumen
Vitamque afflictis animo?
21. Qui mortem exspectant neque venit,
Eamque quidem ex abscondita profunditate effodere vellent.
22. Laetantur in lapidum acervis,
Iubilantque, cum sepulcrum invenere.
23. (Quare) viro, cujus abscondita via est,
Quemque circumsepsit Deus?
24. Panem enim meum praecedit gemitus meus,
Fluuntque aquae instar mea lamenta.
25. Nam si quid reformidabam, idem et accidit,
Et quod vereor, mihi evenit.
26. Quietem neque otium habeo,
Non requiesco; ita venit formido.

ex pectore contrito excedunt, non curiose libratis verbis. Nihilo secius in ipsa interiore stropharum structura deprehenditur ordo et symmetria. In prima quidem (c. 3—10) protinus dies, quo *nasciturus erat* Jobus, et nox, in qua revera *natus est*, diris devovetur (c. 3.) Tum dies speciatim (c. 4, 5) eodemque modo nox (c. 6, 7) et rursus (c. 8, 9) una ambae. Tandem imprecationis fundamentum (c. 10.) Sic igitur habes Schema 1, 2, 2, 1." (Numeris hisce quot commata rebus singulis describendis adhibita sint indicat auctor.) »In secunda strophe (c. 11—19) dicitur: Utinam in ipso partu obiissem (c. 11, 12)! sic jam in sepulcro conquiescerem (c. 13—15), vel, nullo relicto vestigio, evanuissem (c. 16). In sepulcro enim requies est (c. 17—19). Hinc igitur procedunt numeri 2, 3, 1, 3. Tertia stropha (c. 20—26) hae continentur notiones: cui bono miseris datur vita? (c. 20—22); quare mihi nominatim (c. 23), qui nihil nisi afflictiones mihi paratas cerno (c. 24—26)? Habemus hic: 3, 1, 3. — Animadverte, quaeso, adhaec sequentia. In ipso introitu vehementius brevibusque et abruptis questibus mentem suam significat Jobus, longius procedendo autem animi dolor ad tristem μελαγχολίαν vergit, et in ampliores se effundit periodos. Hinc in prima stropha duorum et trium membrorum alternant versiculi; in secunda et tertia autem non nisi elegiaca inveniuntur disticha. Jam vero id deliberato consilio ita ordinasse Poëtam, hoc quidem clarissime ex opposito, qui jam sequitur, *Eliphazi* sermone perspicitur. Scilicet frigidus

hicce monitor quatuor artificiose dispositis quinque versiculorum strophis loquitur, qui quidem versiculi omnes duorum membrorum parallelismo continentur. Prima strophe (c. 2—6) Jobi lamentationem taxat; secunda (c. 7—11) fortunam adversam peccati poenam esse docet; tertia (c. 12—16) nocturnum graphice pingit oraculum; quarta autem (c. 17—21) ejus argumentum exhibet (1).

---

(1) Caput IV.

2. Num tu, si quis verba ad te facere conetur, succensebis?
Quis enim a loquendo abstinere sese posset?
3. En multos erudiisti,
Manusque lassas roborasti;
4. Vacillantem erexerunt verba tua
Et labantia genua fulsisti,
5. Sed quum ad *te* ventum est, irritaris,
Quum *tu* tangeris, animum despondes.
6. Nonne tua pietas fiducia tua,
Et spes tua innocentia tua esse debebat?

7. Recordare, quaeso! quis periit insons?
Et ubinam justi interierunt?
8. Quum homines videbam peccatum arantes
Et iniquitatem seminantes, meterent quoque eam necesse erat.
9. Dei halitu pessundabantur,
Flatuque irae ipsius exstirpabantur.
10. Leo fremit, vocem suam attollit;
Ideo dentes ejus eliduntur.
11. Praedae penuria perit,
Ipsiusque catuli disperguntur.

12. Mihi autem vox clanculum se insinuabat
Auresque meae tenuem ejus sonum perceperunt;

Nimis longe nos abduceret, si sequentia Capita simili ratione lustranda sumeremus; alioquin non difficile foret ostendere, secundam Jobi orationem in prima parte (Cap. VI) trium membrorum strophis constare, uno et altero tantum intermixto versiculo supervacaneo. Contra Bildadi responsio (Cap. VIII) septem justas strophas habet, tribus quamque commatibus constantem. Jam vero num post tale initium, recte quidem addubitari posset, universum Jobi librum nova sibi, quod ad compositionem rhythmicam, deposcere eruditorum studia?"

Hactenus ille; cui in quantum suffragandum sit, videant alii; nobis, quum de sublimioribus Carmi-

---

13. In meditationibus per visiones nocturnas,
Quando somnus homines obrepit,
14. Pavor me invasit et terror,
Omniaque intremiscere fecit ossa mea.
15. Spiritus enim ante faciem meam transibat,
Unde mei corporis crines exsurgebant.
16. Stetit ipsiusque imaginem non agnovi.
Umbrarum effigies (se obtulit) oculis meis,
Vocem susurrantem excipiebam:

---

17. Num homo Deo justior esset?
An vir suo Creatore purior?
18. Ecce ministris suis non fidit,
Legatisque suis vitia exprobrat.
19. Quanto magis ii, qui domus argillaceas habitant,
Pulverique innixi sunt,
Tinea citius moriuntur.
20. A mane usque ad vesperam conteruntur,
Nemine animadvertente sempiternum dispereunt.
21. Nae, quod in iis excellentissimum perit,
Moriuntur, antequam didicerant sapientiam.

nis virtutibus potissimum disputationem instituere visum fuerat; probabilem hanc Viri elegantis et docti hypothesin tantum non silentio praeteriisse sufficiat; quo scilicet hujus excitentur exemplo et auctoritate quaecunque pulcri studio ducta ingenia, ad elimanda perficiendaque ulterius ea, quae ipse, non invita Minerva, ad augendam Jobeïdi nostrae omninoque S. Carminibus debitam existimationem honoremque conferre annisus fuit.

§ 8.

His igitur, cum argumenti habita ratione, tum nimiae prolixitatis fugiendae causa, jam valere jussis, appendicis tanquam loco nobis superest disputatio, quae in nonnullis *Jobeïdos* naevis et *defectibus, qui* vulgo *videntur*, ad justam examinis aesthetici lancem revocandis versabitur. Scilicet in graves contra id, quod legibus concinni et decori sancitum est, offensiones passim incidere se putet quisquis ad hasce illud antiquitatis monumentum exigere instituat criticus pulcritudinis poëticae investigator; quas quidem tantum abest, ut negare factitiove colore incrustare satagamus imperfectiones, ut potius plus uno in superioribus loco ipsi illas luci exposuerimus, ingenueque macularum, elegantissimo hinc inde corpori adhaerentium, nomine insigniendas esse ultro fassi fuerimus. Verum enim vero id non eo valere velimus, acsi una alterave hujusmodi labes e nostro judicio incomparabili Poëmati in magnum cederet dedecus; hoc enim est, quod omni opera negandum esse putamus. Quod qui-

dem et ante satis comprobatum nobis dedisse videmur, quando vel excusationis materiam ex prisci incultiorisque, quo Poëta floruit, aevi ratione parare instituebamus, vel, qui nobis, regione et seculo immensum ab ipso dissitis, naevi solent audire, antiquitus ab hominibus sub Oriente sole natis non eodem loco habitos fuisse docuimus. Quid? quod brevis hic accedat, qui omnem nostram de Jobeïde commentationem non incommode claudat, excursus, quo et in ipsis quibusdam hujus monumenti poëtici partibus, quas nostrorum hominum gustui minus probatum iri opinamur, certam inesse sive elegantiam seu sublimitatem concinnitatemve, quibus rite suum ibi tueantur locum, evincere conemur. Valde diversi quidem generis et argumenti haec esse sponte intelligetur, et solerti forte cura ad distincta justo ordine rerum capita referri facile possent; nos vero, quam plerumque secuti sumus, hic quoque tenebimus viam, ut scilicet, gratae indulgentes rerum varietati, non aliam, nisi quam ipsum nobis subministret Carmen, pertractandi seriem normamque sequamur. Delectu igitur rursus (quantum enim est, quod forte cuipiam sit offendiculo), e multis facto, talia potissimum expromere loca conducet, in quorum aestimanda elegantia omnes, quorum non nimis difficilis in hisce sensus est, lubentissime nobiscum consensuros esse confidimus.

Itaque jam hoc consilio nobilissimi Poëtae vestigia relegens, mox in imaginem incido, quam tanto Carmine vix dignam forte pronunciaverit aliquis. Imaginem dico *retis*, quod tendat venator vel au-

ceps Cap. XVIII: 8—10, in qua scilicet, sermone satis tracto et diffuso delineata, facile contingat, ut plus languoris, quam decoris deprehendere tibi videaris. Audiamus enim modo, quam studiose graphiceque dicam? an operose improbi hominis conditionem hic expingat Bildadus:

Immittitur in rete pedibus suis,
Et in implexa fert semet ipsum.
Jam capit calcaneum laqueus,
Jam nodus ipsum constringit.
Abditus ei est funis humi,
Et decipula in via (latet).

Quas, nimis quaesitas licet, cave, ne inconsiderate reprobatum eas elegantias. Quid enim? Si his ipsis argutiis manifestoque stili expoliendi nisu, Oratoris, Jobo ipsoque Eliphazo imaginationis ingeniique vi postponendi characterem notare voluisse Poëtam haud sine veri specie sumas, nonne ex eo, quod culpandum primo obtutu videatur, jam nova poëticae laudis accessio illi parabitur? — Non absimilis generis, quamvis diverso prorsus consilio allata est illa verborum exuberantia, quam Cap. XXVIII: 15—17, 19 deprehendimus, quaeque alterius nobis speciminis loco sit. Ne autem ipsum locum exhibeamus, diuve in aestimanda indole ejus poëtica moremur, facit egregia omnino ratio, qua ipsum commentatus est, quem modo auctorem secutus sum, Palmius. »Hi versiculi," inquit, »quorum argumentum est thesauris omnibus supereminens sapientiae valor, e nostro quidem sensu nimia laborant prolixitate, ab Orientis vero incolis adamata, ad os-

tentandas suae linguae divitias, quae hic in variis auri, juxta diversum ipsius pretium denominationibus, effulgent, quarum loco nos unum tantum nomen appellativum substituere valemus, quo et factum, ut versio non potuerit non languidius exire." En vero tibi causam simul, ob quam et nos jejuniore magnifici loci imitatione latina supersedere malumus. Jam age, mox alius pericopae, non longo ab ultima intervallo dissitae vindicias in vatis Hebraei honorem struere annitamur. Scilicet Cap. XXIX: 21 — non admodum concinne, post insertam c. 18—20 spei suae mentionem:

Proinde »cum nido meo," inquiebam, »exspirabo" cet., ad vitae integrae et honoratae tabellam, in superioribus ductam, redire videri queat Jobus, his verbis:

Mihi auscultabant et praestolabantur,
Ad meam tacebant sententiam cet.

Ne autem hic de rerum natura sua arcte junctarum mira nonnunquam in optimis antiquitatis monumentis transpositione dicamus, — quam quidem, uti solennis archaïsmi grataeque negligentiae loco communiter habent pulcritudinis poëticae scrutatores, ita hic eleganter ex Jobi, pristinae inter suos auctoritatis cum voluptate recordati affectu possis derivare, — est aliud quid praeterea, quod Poëtae artem in constituendo hoc sententiarum nexu, intelligentibus prodat. Per illam nimirum dispositionem, quae mox Cap. XXXº sequuntur, aptissime cum his copulavit; hac autem subito inversa honoris, quo ante Jobum prosecuti fuerint tribules, et praesentis

ignominiae scena, dici vix potest, quam commoveri debeat animus, qui ad opposita haecce vivide persentiscenda non prorsus obduruerit: unde igitur effici videas, quod principio posuimus, nimirum id, quod forte vitio vertendum arbitreris, re bene considerata in magnam cedere Carminis commendationem.

Et illa quidem observatio in toto etiam Elihui sermone, quo memorando praesenti disquisitioni, omnique adeo huic libello finem imponemus, magnam vim habet. Scilicet fusum illud orationis genus, laxus saepe hiansque in disserendo sententiarum nexus; verbo, ambages, tenebrae, quae Oratoris *ἀπορίαν* produnt, quibusque obductis summa rei a termino proposito remota manet, dicam? an multis modis impeditur; haec igitur quo loco nobis habebuntur? Anne propterea fastidioso cuidam pulcri sensui indulgentes, ipsum illum Elihuum e nobilissimo Sapientum consessu eliminandum vel saltem ut fatuum rabulam spernendum putabimus? Vin' illius declamationes atroci sublimioris, quae vocatur, critices gladio rescissas, a concisioribus, acutis, semper propositi tenacibus Seniorum effatis, ut pannum, infelici sequioris hominis conatu, elegantissimo poëmati assutum, studiose secernere? An vero ob illum verborum crepitum variosque flexus, oscitationis reum agere magnum Poëtam, juxtaque bonum, qui quandoque dormitarit, Homerum suum assignare locum? Atqui neutrum instituas, obsecro. Quid enim? Aptissime tibi fluent omnia, quin luculento ingenii praecellentissimi radiabunt

fulgore, si memoria repetens ea, quae de introducta apposite in hanc scenam Elihui persona supra monuimus, jam rite perpendas, quam apta praeparando mirifico universi Carminis fini et grate variandae universae rerum faciei, sint omnia illa, quae viri junioris ori induntur, verba ampla, sonora, elata, verba vero etiam confusa saepiuscule, infinita, inexplicabilia.

Quae cum ita sint, quid tandem causae esse censeremus, quare post omnia illa, quae ad pernoscendam germanam Jobeïdis indolem, ponderandasque singulares ipsius dotes allata sunt, non insigni illam loco inter praestantissima quaeque opera poëtica, quae plurima inventione, argumenti certe, imaginum, totiusque orationis magnificentia cuncta exsuperet, dignam haberemus? Quid autem ad hanc nos metam delatos impediret, quominus id, quod de Arabum Doreidio habet Ibn Chalicanus, *poëtarum illum fuisse doctissimum et doctorum* *ποιητικώτατον*, longe prae hoc meritissimo titulo in nostrum quadrare statueremus vatem? Qui eximiis admodum sapientiae et scientiae, quibus inclaruit Oriens, mactatus divitiis, istos generosae mentis thesauros ita in Carminis gravissimi numeros effudit, ut quae praecellentissima in Apollinis arte habentur, omnium facile consensu tulerit puncta: creandi scilicet, pingendi commovendique facultate probatissimorum cedens nemini. Quae quidem, aeque ac praeclarum illud A. Schultensii in modo laudatum Arabem eroticum, quod *celsus* sit idemque *castigatus*, illustrioribus, quam in Doreidio

fieri queat, documentis, per omnem hanc disputationem, ut opinor, Musae Jobéae vindicata, multo clariore etiam in luce collocarentur, si quidem a generaliori, quae in hoc libello nos detinuit, rerum contemplatione ad loca singula, sublimitatis, pulcritudinisque nomine conspicua lustranda transgredi nobis aliquando liceret. Ex quali quidem tractatu etiam illud, quod in omni poësi sanequam summum est, ut scilicet altiore quodam divinitatis sensu imbuta, ad vera, ad aeterna, rebusque his fluxis et evanidis majora tendat, luculentius adeo ad nostrum redundaret Poëtam, quandoquidem selecta illa loca, quae majestatis granditatisque nota condecorantur, uno lecta tenore, melius, quam hic fieri potuit, hoc quod dixi, conspiciendum praeberent. Quae igitur collegisse, sedulisque curis illustrata, boni pulcrique sensui commendasse, gratum profecto mihi, si otium et opportunitatem largiatur Deus, horarum subcesivarum erit oblectamentum.

EMENDANDA.

Pag.	38	lin.	19	lege	sim
—	42	—	22	—	dicente
—	54	—	30	—	Nae
—	60	—	5	—	isthac
—	—	—	12	—	ceterorumque
—	95	—	15	—	detrectaverant
—	96	—	10	—	ac
—	111	—	25	—	ad
—	139	—	16	—	Jobels
—	145	—	4	—	nostro
—	146	—	§ 4.	—	§ 5.
—	164	—	5	—	diris
—	165	—	22	—	erga

2- 30079

155531

UNIVERSITY OF CHICAGO
48 455 874